ECCLESIASTES
SOLOMONIS.

Auctore

JOAN. VIVIANO.

CANTICUM
SOLOMONIS:

Nec non

EPIGRAMMATA
SACRA,

Per *J. A. DUPORTUM.*

Accedunt

GEORGII HERBERTI

Musæ Responsoriæ ad

ANDREÆ MELVINI

Anti-Tami-Cami-Categoriam.

LONDINI,

Typis *J. F.* prostant venales apud *Octavian. Pulleyn* juniorem sub signo Bibliorum juxta ostiolum Borealem D. *Paul.* 1664.

14 x 8.
pp vi, 40.
ii, 15, 26.
30.

LIBRARY OF UNION
THEOLOGICAL
SEMINARY,
NEW YORK.
—GIFT FROM—
HENRY DAY, Esq.

VS37 85683
V85S

Præfatio ad Lectorem.

DElituit jamdiu in Archivis amplissimorum virorum elegans hæc Ecclesiastæ Paraphrasis, utpote octoginta abhinc retrò annis contexta; An unquam antehàc typis exarata, haud satis scio, at dignissima sanè, siquid ego judico, quæ jamdudum publico donata, doctorum hominum, & (quod plus est) piorum manibus tereretur. Ausim dicere, Divina hæc Concio sapientissimi Regis per nullius unquam Versionis canalem seu rivulum (sacros enim fontes semper excipere fas est) puriùs ad nos salubriúsq; , addo & suaviùs jucundiúsq; manavit. Cùm enim Tropi & Metaphoræ, Allegoriæ etiam & Ironiæ huic Libro passim interspersæ divinum Autorem alicubi subobscurum reddant, ita ut ejus mentem assequi haudquaquam in plano aut proclivi sit; nescio tamen quo bono Genio, aut potiùs Spiritu ductus et edoctus genuinum sensum θεοπνεύστου Scriptoris ubiq; (ni fallor) & in omnibus exhibet, & scopum loci semper attingit, & denique Solomonis sententiam exactè & ad amussim, & veluti ad vivum exprimit Vivianus noster: Quod quidem tam fideliter & feliciter præstat, locis obscuris lucem fœnerando, ut ejus Paraphrasis justi Commentarii loco esse possit. Interim verò nè verbis aut sensibus Sacri Autoris prossè nimis & mordicus inhærendo, adeo præ neglectu sermonis humi reperet, aut flueret lutulentus, usus est stylo non quidem grandi & sublimi, turgido aut inflato, sed

terſo & eleganti, puro & caſtigato, leni & profluenti, polito & perſpicuo. Verbo dicam, ſeu materiam, ſeu phraſin ſpectemus, certè niſi multùm me fallit judicium, metricus hic noſter Paraphraſtes omne tulit punctum, omnéſq; boni ac fidi Interpretis partes explevit; nam & ita ſtylum temperavit, ut ſententiæ reddendæ ſummam curam habuerit, & ita ſenſum expreſſit, ut ſermonis interim puritatem atque elegantiam non neglexerit. Hoc ergo cimelion tam pretioſum, & auro contra non carum neſcio quo fato intra privatos nonnullorum parietes clauſum, tenebris & ſitu obſitum, cum blattis & tineis rixari hactenus cogebatur; donec tandem ex præſtantiſſimorum virorum (qui tamen præ modeſtiâ celari volunt) ſcriniis erutum exemplar hoc manu-ſcriptum (nam impreſſum videre mihi nunquam contigerat) ad manus meas pervenit, eorum ſcilicet nomine & hortatu à Reverendo Theologo, M. Waſerer, S. T. D. Canonico VVintonienſi, Fidei & induſtriæ meæ commiſſum, ut, quam primùm mihi vacaret, prælo ſubjicerem, & typis mandandum curarem. Et ego ſanè, cui iſtiusmodi merces nunquam ingratæ, penſum hoc ab amiciſſimo viro mihi demandatum non ægro nec reluctanti animo in me recepi; quâ verâ fide ac diligentiâ perfeci, tuum, Humaniſsime Lector, judicium eſto: Quanquàm & nihil profectò eſt, quod mihi arrogem aut aſſumam in hoc opuſculo adornando, niſi quòd numeros verſuum indices in margine adjeci, & unum fortè & alterum locum aliter exhibui, (non enim dicam, emendavi) & denique hoc præloquio munitum Typographo commiſi. Atque hactenus ſaltem manu & opellâ meâ obſtetricante pulcherrimus hic fœtus in lucem prodiit: quem quidem ut tu benignè excipias, & in ſinu foveas, non multis, opinor, à me orandus es: ſatis enim pro ſe loquitur etiam recèns natus, nec patrono indiget, nec patrino. Vino tam vendibili non opus eſt ſuſpenſâ hederâ, nec tam egregio operi encomiorum laureolâ, aut appendiculâ. Divinus Autor & Eccleſiaſtes ſupra omnem laudem evectus; etiam Interpres

&

& Paraphrasis supra nostram, ut Testimonio tam obscuro & privato opus omninò non habeat: præsertim cum jam olim publicâ autoritate cohonestatus sit eoque privilegio ad prælum instructus & paratus, quod vulgò Licentiam dicimus; quod et, cùm in calce MS. codicis invenimus, imprimere visum est. A politissimi igitur hujus Poetæ & Paraphrastæ lectione te diutiùs haud distinerem, nisi quòd unum insuper te prænonere necessum habeam. Ausus sum huic purpuræ pannum meum assuere, Sacræ sc. Solomonis Concioni à Clarissimo Viviano Paraphrasi poeticâ explicatæ, ejusdem Solomonis Canticum seu Epithalamium Sacrum (quod & Bibliorum ordine proximè sequitur) à me olim juvene pro modulo meo metricâ quâ potui Metaphrasi illustratum. Adjunxi præterea Circulum annuum Epigrammatum Sacrorum, seu Carminum, quæ in anniversariis Ecclesiæ festis & solennitatibus puer itidem pro more in Collegio nostro jam olim composui. Iro his laciniis aureo planè poematio à me attextis, laudem certè non peto; satis est si veniam obtinuero: Quam & cò facilius à te indultum iri confido, Lector benevole, si cogitaveris me non temerè, nec absque omni prorsus ratione has appendices præclaro Operi annexuisse. Certis igitur de causis, si placet, hoc à me factum putes; tum ob affinitatem materiæ, vicinámque Concionis & Cantici in serie Biblicâ; tum ob parvitatem libelli, ut is saltem, nè nimis fortè videretur exiguus, hâc qualicunq; auctus mantissâ excresceret in molem aliquantò majorem; tum denique ut tam pulchri Operis venustas & elegantia adjunctis duobus aliis tam rudi penicillo adumbratis illustrior fieret, & clariùs eluceseeret.

Postquàm hæc scripseram, tradita mihi in manus sunt à venerabili viro Gu. Dillingham, S.T.D. Col Eman. Præf. Epigrammata quædam pro Disciplinâ Ecclesiæ nostræ Apologetica, aliquot abhinc annis conscripta à Geo. Herberto, at quali, & quanto viro, & poetâ, quàm pio, quàm ingenioso! de quo præstat omnino tacere quàm pauca dicere; præsertim cùm eximiam ejus pietatem admirabilis ingenii sale condî-

tam

Sacra ejus Poemata hoc titulo insignita.

[a] Πᾶν δ' ἓυ λειήνας χρυσέην ἐπέθηκε κορώνην. Homer.

tam loquetur Templum, *loquetur Tempus, loquetur Æternitas. Hæc igitur carmina, polita admodum & elegantia,* τοῦ πατρὸς γνήσια τέκνα. *& Autoris genium planè redolentia, quasi* [a] aureæ coronidis *loco prioribus attexere visum est. Tu verò, humanissime Lector, vale, & fruere, & me precibus tuis Deo commendatum habe.*

J. D.

ECCLESIASTÆ
SOLOMONIS
Paraphrasis.

CAP. I.

1 ORdire Musa Principis
Sermonem Hebræi, quem suis
Dictabat ille Davidis
Propago regis inclyta,
Dans jura Solymæ nobili.
O si benigno Numine
Adspiret ille, qui sacro
Regi hæc præibat Spiritus;
Sancta ut queam vestigia
Sequi Latinâ barbito,
Mecúmque anhelantes pias
Mentes, ad alta culmina
Sionis, humanam supra
Contagionem, purior
Quæ vestit æther sistere.
2 Mortalium vanissima,
Dicebat, omnia, seu levi
Quid vanitate vanius.
Nil rebus est mortalium
3 Inanius. Quò tot juvat
Frustra labores sub polo
Perferre? quid reliquum est lucri
Contentione ex tam anxia?
4 Volvuntur anni; & quæ modò
Vigebat ætas, defluit,

Génsque una deficit; altera
Succedit: ipſa ſed ſuo
Fundata tellus ſtat gravis,
Stabitque in ævum pondere.
5 Sic os decorum ut æthere
Sol magnus extulit, gradu
Fertur citato; veſpere
Anhelus ad ſuum redit
Cubile, manè ut pulchrior
Vultu reſurgat aureo.
6 Ac ventus unà nubilas
Rapitur ad Arctos, mox celer
Auſtrum reviſit, quam frequens
Currit, recurrit orbitam,
Terrísque oberrat omnibus.
7 Quàm multa terras permeant
Fluenta aquæ, prono ad mare
Agmine feruntur, quod lacu
Vaſto receptat omnia,
Faciéque eàdem permanet.
Aſt illa rurſus ad ſua
Capita revolvunt, ut fluant
Solito perennia alveo.
8 Abſtruſa rerum exordia,
Cauſſásque mortales ſuis
Fruſtra volutant ſenſibus,
Certíque nil extundere,
Nil ore poſſunt eloqui.
Nec enim notando quælibet
Fiet oculis unquam ſatis,
Non multa quamvis hauriat
9 Expletur auris: & tamen
Series perennis omnium
Eſt una rerum: quod fuit,
Adhuc erit: adeò nihil
Natura molitur novi

Solis

Solis ſub amplo hoc ambitu.
10 Idémque adhuc rerum tenor
Verſabit humana omnia.
Quis proferet mi quod prior
Non vidit ætas? omnia
Olim fuere, & hæc quoque
Inſueta rerum neſcii
Si quæ putamus, gentibus
Nova nec erant prioribus.
11 Sed longa paullatim dies
Obvolvit illa; & clanculum
Subrepit alta oblivio
Ævi prioris: ut neque
Mox inſecuturi memor
Erit ullus inter ultimo
Demum futuros tempore.
12 Hæc qui beatam Iſacidûm
Gentem docebam, regiis
Solymæ potentis ſedibus,
Sceptróque clarus aureo:
13 Huc, ſi quid animus perſpicit,
Vis ſi quid ingeni valet,
Totus ferebar, ut notans
Quæcunque teſte ſub polo
Geruntur, ipſas omnium
Cauſſas ſagaci examine
Rimarer. Hanc enim improbam
Curam Deus mortalibus
Immiſit ægris, quâ ſuper
Tantum laborant anxii.
14 Hoc rerum amore ſingula
Dum mente luſtro, quæ nitens
Incingit æther, nil niſi
Inane tandem repperi.
Utcunque variis paſcerem
Senſus imaginibus, nihil

Solidi videbam, mens ubi
Poſſet avida quieſcere.
15 Quis illa denique perperam
Quæ multa fiunt aptiùs
Concinnet, aut rebus modum,
Quæ tot feruntur ſub polo
Vanæ atque inanes, imperet?
16 Tum mente ſolus conſcia
Mecum volutabam, meo
Soliónе quid beatius
Fuiſſet unquam. Ceteris
Quos terra, dicebam, hæc tulit,
Quotquótve mirata eſt duces,
Incedo major, ingeni
Sublimitate, exactior
Doctrina conatus meos
Promovit altè, quò pedem
Nec ullus ante me tulit.
17 Ergò invium ſapientiæ
Callem capeſſo, & funditùs
Abſtruſa rerum perſequor;
Quæ recta, quæ non; quid ſibi
Tantum arrogarent plurimi
Mortalium, & modum omnibus
Rebus parabam ponere.
Sed deprehendi me hic quoque
Senſus amore paſcere
18 Nequiquam inani. quatenus
Quò plura nôris, hoc magis
Cruciere, veri ad arduum
Quid deſit apicem, ut ſuſpicis;
Nempe altiùs quò evaſeris,
Eò labores ampliùs.

CAP. II.

CAP. II.

1 AGè nunc, anime mi; quid ferat
Dulcedo vitæ protenus
Expende mecum: fac bonis
Fruare abundè: ſed ſtatim
2 Pedem repreſſi. Sic enim
Mecum loquebar. Quid jocis
Quàm ut diffluas ineptius?
Quò vana tandem gaudia?
3 Aſt nil inauſum ut relinquerem,
Cum mente pactus ſum mea;
Vitæ ut tenore priſtinæ
Paullum remoto, aſſueſcerem
Vino madere, ceteris
Permiſtus & mortalibus
Studióque eodem tangerer:
Tantùm ut viderem quid boni
Vita hæc haberet, aut opus.
Quo cuncta fervent ſub polo
Sine requie, quid hominibus
Tandem pararet commodi.
4 Hâc mente ductus dum feror,
Quid non eorum quæ putant
Vitam beare audaciùs
Aggreſſus, aut quos non meos
Exegit orſus dextera?
Sic mole magnâ regias
Centum ſuperbis, marmore
Non antè genti cognito
Poſui columnis. Collium
Aprica complens vitium
Lectiſſimâ propagine,
5 Depreſſa plantis prætuli,
Solo ut tepenti narium
Halaret omnis copia,

Succi aut ſalubres corpori.
Tum ſilva longos ordines
Pendebat alta ac plurimis
Terris petitæ ut arbores
Vario ſapore fructuum,
Quantum & figurâ, lætiùs
Diſtinguerent pomaria :
6 Feci lacunas fontium
Allapſibus, ut hinc quod ſatis
Eſſet novello germini
Roraret, ac ſpecioſiùs
Vireret arborum coma.
7 Quid lecta nutus ad meos
Mille famulorum corpora,
Vernæve dicam quot meis
Armenta ſeptis clauderent,
Gregúmque quantum non prior
Ætas amœnæ viderit
Dumeta Solymæ paſcere ?
8 Sed nec potentum quis meas
Regúmve populorúmve opes
Æquâſſet, auri pondere
Potior, vel argenti, aut mari
Bacca petita ab ultimo.
Ad hæc legebam qui mihi
Curas levarent, barbito,
Seu voce mallem limpida
Juvenum, & puellarum choros
Et lecta virgo ab exteris
Mi ſerviebat gentibus :
Mi capta bello copia
Præſtantiorum: ut jam nihil
Hac eſſe vita blandius,
Ultráve poſſet expeti.
9 Hác ſorte rerum verticem
Altè efferebam, nobilis

Ut

Ut nullus unquam geſſerit
Qui ſceptra Solymes, omnium
Quæ moliebar, exitus
Ferens ſecundos, & mihi
Mens cúmque rerum provida
Fidelis adſtitit comes.
10 Tum dulce quidquid ſenſibus,
Quidquídve amicum, prodigens,
Et nil ut adverſum foret
Intentus, animum gaudiis
Explebam, & hunc fructum mei
Tuli laboris maximum.
11 Verùm ut parata exactius
Mecum voluto, quo mihi
Starent labore, examine
Libróque juſto ſingula:
Me cuncta rerum comperi
Moviſſe nequicquam, & meam
Luſiſſe mentem evanidis
Tantùm figuris; ac nihil,
Quidquid ſub hoc fiat polo,
Diutiùs conſiſtere.
12 Ergò relabor quò prius,
Conſulta rerum evolvere;
Quæ recta, quæ vel ordine,
Modóve nullo perperam
Ferrentur. An quis par ſuo
Incedat, inquam, Principi,
Aut moliendo, aut omnium
Cauſſam explicando quæ gerit?
13 Vidíque, quàm gratum malis
Jubar tenebris, tam virum
Præſtare ſtulto, quem rapit
Inſanus error quò lubet
14 Cæcutientem; cùm nihil
Attentet ille non priùs

Secum

Secum peractum: res tamen
Unum utriuſque comperi
Quòd ſortiantur exitum.
15 Mecúmque tandem quò mihi
Hauſti labores, intimæ
Sapientiæ ut perrumperem
Arcana? quò mentem acriùs
Meam fatigo, cùm cadant
Succeſſu eodem ſingula
Stulto mihíque? Ergò hìc quoque
Mihi videbar ut priùs
Cauſſas inanes nectere.
16 Damnare namque pervicax
Dies tenebris omnia
Obliviosis, te pede
Stultúmque eodem conteret:
Per quam nihil mortalium
Obdurat æternum, ac pari
Doctus ruinâ, quâ greges
Inſanientum decidunt.
17 Commotior quin his ſuper
Odíque vitam, & tæduit
Contentionum, fervere
Quas vana circum comperi;
Adeóque mentem involvere.
18 Odíque quidquid ſub polo
Sudavi, ut heredem meo
19 Beem labore, qui mihi
Nec notus ille, an degener
Futurus, an qui perfrui
Sciat relictis, hic tamen
Potietur omnium, mea
Quæ cura prudens, ſeu labor
Parárit: inquam, at num queat
Quidquam hoc videri inanius?
20 Viámque inibam denique

Pertæſa

Pertæſa mens ut quæreret
21 Finem huic labori. Nam licet
Quis arte præſtet, provido
Uſúque rerum, congerat
Et multa frugalis operi
Inſtando; partem deſidi
Ponere videbam, qui nihil
Illi adlaborâſſet: malum
Et judicavi, maximam
Quòd vanitatem proderet
Rerum ſub æthere omnium.
22 Nam quid perenni proderit
Angore vitam obtundere?
Quid tot labores volvere?
23 Defeſſus animo ut dormias
Nunquam quieſcente, ac dies
Moleſtiores perferas,
Pertæſus uſque perperam
Tam multa ferri ſub polo.
24 Quàm ſanior quiſque, ut ſibi
Frui paratis blandiùs
Indulget, ac cibo ſatur
Potúque vitam tranſigit.
Sed & hæc amici profluunt
Benignitate Numinis.
25 Quam, ſi quis unquam, plurimam
Expertus ego, non conditis
Opibus peperci: lautior
Sed vita quantum poſceret,
Deprompſi abundè, nil meis
Ut rebus eſſet clarius.
26 Sic nempe viſum Numini
Piis adeſſe, quos dabit
Auguſtius ſapientiæ
Subire limen, & ſuo
Humana quæque ponere

Loco,

Loco, modóque, condiet
Et cuncta dulci gaudio
Ut cuique amicum: at impios
Curis edacibus, ac gravi
Addixit operi, ut congerant
Laborioſi, non ſibi
Opes; ſed ipſe cui Deus
Eas reſervat, ô nihil
Inanius! juvat tamen
Sic uſque mentem obtundere.

CAP. III.

1 SUnt certa rebus tempora
Sunt & animorum motibus,
Vicésque crebræ ſub polo,
Queis ſtant, cadúntque ſingula.
2 Eſt quando naſci convenit:
Eſt quando vitam ponere.
Et unus ut feras dies
Proclivis: alter ac feret
Exculta quondam evellere.
3 Eſt ut trucides: eſt quoque
Bilem ut remittas, vulneri
Manum applicando. Sic dies
Ut diruendis ædibus:
Alter ſtruendis pronior.
4 Nonne lacrymis certas vices,
Certáſque ſentis riſui,
Et uſque luctu tempora
Alacriora involvier?
Non ſaxa nuper molium
Neglecta quæ diſperſeras,
Nunc illa malis undique
Operi futuro congeri?
Quin ipſa fert dies modum
Amplexibus, & ut nauſeet

Quis

Quis expetita ad oſcula.
6 Utque illa quondam maximo
Sudata niſu, negligat
Incurioſus, & paret
Contentione quæ gravi
Congeſſit olim perdere.
7 Sic cura nuper veſtibus
Ut diffuendis: nunc magis
Voles eaſdem conſui.
Has fert refert dies vices.
Ut & tacendi ſit locus,
8 Sit & loquendi. Nec ferat
Ætas amorem quælibet,
Altera minarum fertilis.
Hinc bella nata: hinc pax redit
Vultu renidens aureo.
9 Quid amplius, quiſquis ſuam
Noctes diésque fervidus
Mentem fatigârit, feret
10 Hac ſorte rerum? ſed Deus
Immiſit hunc mortalibus
Ægris laborem, cui juvat
Ardore tanto incumbere.
11 Nam quæque concinna ut ſuo
Tempore locóque Conditor
Facit, ac tuetur omnia:
Sic illa ſenſibus tamen
Exponit humanis, nihil
Conatus ut licet arduus
Cognoſcere penitus queat
Quæ facta, quævè poſt erunt,
Quocunque rerum hæc machina
Stabit, ſtetítve tempore.
12 Aſt vita, dixi, certior
Si quis creatis utitur
Rebus benignè, ac quod dies

Addit

Addit caduca, gaudio
13 Apponit. O ſi cui Deus
Uſum fruendi indulgeat
Suis laboribus, ut ſatur
Potu, cibóque molliter
Tranquilla condat tempora:
Næ munus ille à Numine
Tulerit amico maximum.
14 Securus hic nihil ſuo
Labore poſſe accedere
Rebus creatis, nec ſibi
Tantis operibus arrogat
Mutare quidquam, quæ Deus
Completa numeris omnibus
Exegit; ut mortalium
Senſus retuſi aſſueſcerent
Pio timore Numinis
Ter maximi manſueſcere.
15 Perennis interim tenor
Feſtinat orbis, nectere
Præſentia elapſis, quibus
Mox & futura colliget
Sub lege eadem. Sic ſuo
Incumbit operi maxima
Mens, fluxa ſupplens; ordine
Et cuncta ab æterno movet.
16 Hæc dum voluto, me tamen
Sublime cernere impios
Solio ſedere, ceteris
Et jura dantes ſub polo,
Tractare leges & ſacras
Manu execranda; jam ferè
17 Loco movebat. Stat quidem
Æterna, dicebam, Dei
Lex, cuique reddens quod ſuæ
Manus patravere, ac videt

Si quod ſub imo pectore
Retunditur piaculum.

18 At ipſe mecum: Numinis
Magna hæc voluntas, conſcius
Ut quiſque mortalis ſuæ
Sortis, nec eſſe ceteris
Præſtantiorem animalibus
Agnoſceret demiſſior.

19 Homo & pecus ſub caſibus
Vivunt iiſdem, ſub pari
Vitámque ponunt exitu,
Et anima ab una ſpiritum
Ducunt eundem; nec manet
Quidquam ex utroque; cùm fluat
Inane quidquid veſcitur
Humentis aurâ ſideris.

20 Creata cuncta nam locum
Petunt eundem: ut quæ rudi
Conflata pulvere, pulverem
Rurſus in eundem diffluant.

21 Ac quis mihi mortalium
Extundat hominis ſpiritum
Convexa ſupera; belluæ
Ad ima terræ pergere?

22 Sic cuncta rerum dum frequens
Mecum voluto nil prius
Vitâ putavi, quæ frui
Sciret paratis, gaudio
Condita puro, háudque amplius
Quidquam ex labore percipi.
Si quis nec anxius in diem
Poſt ſe futurum, quem nefas
Prænôſſe cuiquam, quærere.

CAP.

CAP. IV.

1 Successit hinc alius labor
Mecum revolventi, quibus
Quantisque premerent improbi
Calumniis innoxios.
Nec esse mirabar, quibus
Indigna cordi res foret
Sub æthere hoc: quin acriùs
Instare grassantes, neque
Ulla lacrymis solatia,
Non auxili quidquam undique
Oculos volutans repperi.
2 Ergò beatos, qui diem
Clausere, vivis prætuli.
3 At sorte utrisque dispari
Feliciorem, cui neque
Vitam attigisse contigit,
Qui nec malorum conscius
Quæ tot patrantur sub polo.
4 Quid enim tot arduas adit
Contentiones vir viro
Quàm ut invidendo proterat
Ut quemque possit? Omnium
Huc sudat incassum labor
5 Summa expetentum. At infima
De plebe inertior, manus
Recondit in sinum, & diem
Trahendo, rem sensim atterit.
6 Abjectus hic: sed nec suam
Mutare sortem diviti
Cogitat acervo: ut otium
Rémque tenuem, sudoribus
Potentiorum comparat,
Quos usque curæ percoquunt.
Imo æstuantes pectore

7 Converſus hinc inſaniam
Inſiginorem ut diſcerem,
8 Attendi avarum, qui licèt
Sit ſolus ipſe, filius
Nullus, vel agnatus: tamen
Perſtare noctes ac dies
Inhiantem acervis: non ſatur
Retorquet ille lumina,
Secúmve nunquam: Quò mihi
Tot jam labores? cui paro
Intacta, rebus abſtinens
Geniúmque fraudo? Sic miſer
Cruciatur, ac rebus tamen
Inhæret uſque inanibus.
9 Nam vita dici quî pote
Jucunda ſolius, ſine
Vitæ fideli compare?
10 Quis vel labanti dexteram
Properet amicam tendere?
Sed dulcis æquales juvat
Fructus laborum conſcios;
11 Torúsque concordes fovet
Parili calore, deficit
12 Qui ſecubantem. Ut ingruat
Quæcunque tempeſtas, duo
Animis parati certiùs
Hoſtem retundunt: nec citò
Diſrumpitur funis triplex.
13 Vis ſumma providentiæ
Manus hebentes Principis,
Jam pace longâ, quem piget
Rectè monentum, deprimit;
Juvenémque præfert, vivida
Cui corde virtus, infimo
Nec genere natum præterit.
14 E carcere hic ad aurea

Decore multo culmina
Tranſcendit: alius regia
De ſtirpe vitam inglorius
Rebus in egenis tranſigit.
15 Aſt omnis ætas ſub novo
Intenta rege gaudiis,
16 Odit priorem. Nunc favor,
Nunc fauſta quæque, nec modus
Turbæ inſequentum, cùm tamen
Mox mox futuri poſteri
Neq; hunc probabunt Principem.
Heu ſpes caducas! irritas
Contentiones! ac nihil
Mortalium conſiſtere!

CAP. V.

1 UTcunque ſacratiſſima
Delubra adis, greſſus tuos
Circumſpice, ut præſens ſies
Guſtare ritus quid ſacer
Importet ille perperam
Cultus profano qui ſuum
Cuncta pietatis ad modum
Expendit, haud mente integrâ,
Senſúve, nec videt Deum
Sua impiobare munera.
2 Tu nè quid ore concipe,
Vel corde præceps: ſed priùs
Tecum peractum, Numine
Coram potenti, ſobrius
Effare paucis, ac tuæ
Eſto uſque ſortis conſcius
Terræ jacentis incola,
Deúmque ſublimem ætheris
Tenere vaſti regiam,
Deſpicere & infima omnia.

3 Eſt nempe cura ut anxios
Inordinata, inſomnio
Agitat inani: futiles
Sic verba multa involvere.
4 Tum corde rectus ſolvere
Nè vota differ: nam Dei
Averſa inanium preces
5 Conſtans voluntas, præferet
Vovere pigrum perfido.
6 Sed os coerce: nè nefas
Quod excidat, vitam gravi
Involvat ut piaculo.
Neque excubanti ad omnia
Contende, culpæ ut angelo
Quidquid ſit, eleves: Dei
Moturus hoc bilem ob ſcelus,
Quoſcunque præſentem tuos
Manuum labores perdere.
7 Inſomniorum multiplex
Ut vanitas rebus quoque,
Verbísque inanibus omnia
Referta. Sanum nil, niſi
Pio in timore Numinis
Sanctiſſimi acquieſcere.
8 Nec ſi quis inſontem opprimi,
Legésve cernat, ac loco
Sedere ſupremo urbium
Mentita jura: nè ſcelus
Ob tam nefandum protinus
Animos remittat. Nam potens
Supra potentem hunc excubat
Alius, utriſque & imperat
Major poteſtas, cui neque
Vis certet ulla obſiſtere.
9 Quò tot tumultus, ſufficit
Si juſta tellus cuilibet

Quantum neceſſe? non opes
Regum requirat; cui bene
Cultura agelli arriſerit,
Fructúsque profert annuos.
10 Sed nunquam avaros improba
Fames habendi deſeret,
Quærétque ſemper, lumina
Ut cuique præſtrinxere opum
Grandes acervi, fervido
Mentem inquietam ludere.
11 An poſſidentem copia
Ultrà beabit, quàm ſuis
Ut ſpectet oculis, hoc magè
Multos vorantes, dum vigil
Incubat acervis, neſcius
12 Dulcis ſoporis. Interim
Utcunque paſtus vernula
Operum ſolutus, languida
Membra explicat, toto & capit
Placidam quietem pectore.
13 Quin peſte majore æſtuant
Mortalium præcordia,
Ut ſæpe perniciem in ſuam
Quis condat immenſas opes
14 Partas dolore, nam dolor
Comitatur alter maximus
Sic diffluentes, ut nihil
Nato ſuperſit, quem ſuæ
Columen domûs eduxerat.
15 Nudúsque vitalem ætheris
Hauſerit ut auram, ſic humum
Repetit parentem, nil ferens
Secum ex acervo, quem gravi
Animi tumultu aggeſſerat.
16 Heu lex iniqua, & impotens
Conatus hominum avertere,

Nè

Nè ſorte, quâ quiſque attigit
Auram patentem, decidat.
Sed truditur dies die
Amore rerum inanium.
17 Vita ac tenebris obſita,
Vix dulce quidquam pertulit.
Omnia querelis, omnia
Angore plena, atque miſeris
Contentionum fluctibus.
18 Sic varia cauſſans, denique
Dixi hunc beatum, qui lare
Nitente vitam temperet
Modico labore, & gaudio,
Quàm longa carpat Numinis
Benignitate tempora,
19 Nec trepidat ultrà. Næ Deus
Si cui peculium, & dedit
Uſum fruendi, ut ſuaviter
Decurrat ætas, ceteris
Donatiorem hunc præferam.
20 Non vita queis obvolvitur
Horret pericula, undique
Favore amici Numinis
Vallatus, almo & gaudio.

CAP. VI.

1 NUnc fata quę paſſim ingruunt
Diverſa multùm proſequar.
Ut queisque mecum pervigil
2 Cuſtos oberravi. Haud malum
Acerbius, ſi cui Deus,
Quæ magna turba contulit
Opes, honores, ac nihil
Si poſcat ultrà, deneget:
Sed cordis haud tanrum, ut frui
Miſer paratis audeat,

Ignotus hæc ab exteris
Veniens ut oris, prodigus
Liguriat: quid inanius
Curâ hac, vel exquiſitiùs
Inſana ludat pectora ?
3 Fac ille centum liberos
Numeret, & orbes plurimos
Sol annuus revolverit
Superſtiti, nec adhuc bona
Guſtaret ulla, quæ ſibi
Hæc cunque vita indulgeat,
Quin his inemoritur, neque
Quis munus abjecto ultimum
Parat cadaveri : huic ego
Præferre abortum non putem
4 Injurioſum ; Qui venit
Ut frivolus, ſic excidit
Merſus tenebris, nomine
Sub ſole nullo cognitus.
5 Non aſtra vidit aurea,
Sensítve ſolem vivido
Jubare emicantem: ſed neque
Peric'la vitæ expalluit
Properantis, ac in limine
Emarcuit tranquilliús.
6 Par exitus mortalium
Delibat omnia, ad locum
Cogit & eundem: ac quid juvet
Vixiſſe longa ſecula
Qui læta nunquam viderit ?
7 Sed enim quid amplius poteſt
Conatus omnis, quàm cibos
Ut elaboret corpori;
8 Semper iterandos? hac nihil
Nam parte præſtat providus
Stulto, aut inerti, qui tamen

Quæ vita poſcit paucula
Natis, ſibíque comparet.
9 At ſplendor ingens ſi domi
Res lauta ridet, pulchrius
Quàm vita cui tantùm in diem
Parvo aſſuëto ſuppetit.
Sic paſſim inani ut faſcino
Oculos voluptas allicit
Amabili veſaniâ.
10 Ut cuncta verſeſ, ad tuam
Sortem relabêre, infimæ
Colone telluris, tibi
Natura legem hanc dixerat
Lucem haurienti. quid juvet
Potentiori congredi,
11 Quàm mentem inanem ut plurimo
Sermone prodas futilis,
Nil & reportes hinc lucri?
12 Quin ipſe neſcis quæ ſequi,
Quæve fugere expedit, diu
Ut cunque vita ſuppetat
Inanis iſta, quæ tibi
Effluit ut umbra; nec pote
Mox mox futurum quid trahat
Volucris ætas proſpici.

CAP. VII.

1 Est fama ſuavior bona
Odore quolibet, nitens
Quo fragret unguentis coma
Perfuſa delectiſſimis.
Hinc crebriùs ob oculos dies
Summus recurrerit, die
Natali, ut omnia exitus
2 Depaſcat idem: qui ſapit
His immoratur, nec epulo

Frequentior, quàm planctibus
Lugentium supervenit.
3 Mœrente vultu pascitur
Animus, & assurgit, mala
Pertæsus ut tot ingruunt
Impunè passim, quæ levi
Transisse nolit gaudio.
4 Præstò est querenti, nec jocis
Intentus aures applicat;
5 Vultúmque malit quamlibet
Gravem increpantum, inania
Quàm blandientis carmina.
6 Flamma ut sonore plurimo
Suggesta ahenis spinea
Exultat incassùm, irritos
Crepitus ciens, neque latices
Intus calescunt: futilis
Sic risus auram verberat
Stultorum inanem evanidus.
7 Atqui hæc monentem inanitas
Me, rebus usque pervia,
Obvolvit eadem: quatenus
Et sæpe vidi fluctibus
Calumniarum cedere
Corda sapientum, quàmlibet
Exculta, multúmque obrui.
8 Cujúsque ni exitus rei
Exordio præstantior
Cuncta retegeret, ac spiritu
Sedatiore concitos
Ferendo quæque vincerent.
9 Nè laxa habenas pectori
Irâ intumenti, clanculùm
Furore glisente, intimis
Insanientum quæ lues
Affixa sub præcordiis.

10 Ac

10 Ac vana ſectantum dolor
Exaſperatur, aurea
Dum ſec'la majorum vocant;
Suáque malorum flumina
Immanium devolvere.
Nè fortè credas pectoris
11 Sani has querelas. Aſt opes
Si curat ullus jungere
Ritè ſapientiæ, diem
Non damnat ullum, quo poli
Faciem nitentis ſuſpicit.
12 Eſt multus argento color,
Sapientiæ multus: ſed hic
Prælucet illi, quòd potis
Donare vitam cui volet.
13 Attende porrò Numinis
Clariſſima opera, non, nefas,
Ut arte præſumas tuâ
Mutare prava quæ putas,
14 Normá æquiore: ſed bono
Ut perfruare; dum datur,
Diésque declines malos.
Alterna namque volvier
Sic alta mens ſanxit, vices
Fecítque crebras omnium,
Curam futuri ut irritam
Mortalium retunderet.
15 Omnia revolvi quamdiu
Vita hæc inanis adfuit,
Vidique recti in tramite
Deficere juſtum ſæpiús:
At prava ſectantes, ſuos
Fundare greſſus, & viâ
Diu malignâ inſiſtere.
16 Eſt nempe juſtitiæ modus
Tenendus: & ſapientiæ

Arcana

Arcana ſi quis altiùs
Adire præſumat, ſtupor
Occurret ingens lumina
Audacium perſtringere.
17 At devio qui in tramite
Incurioſus, ac malo
Indormit inſanus, diem
Mors ante juſtum hunc demetit.
18 Inſigne munimen, viam
Quicunque mediam cautior
Sectatus, humanas vices
Sibi ſubjicit, dum ſobrius
Divina deguſtat, Dei
Timore prævio hinc & hinc
Extrema vitans noxia.
19 Juſti tenacem non viri
Decem potentes, qui ſuæ
Urbi imperent præſentiùs,
Ac ſola protegit omnium
Potentior ſapientia.
20 At nullus unquam deligi
E gente mortali queat
Sic mente rectus undique,
Quin ſæpe lapſus arduam
Veri relinquat orbitam.
21 Túque hæc volutando, memor
Sortis caducæ, tetricas
Remitte cenſuras, levis
Errata ferre, nè tuus
(Quod non putabas) te cliens
22 Ipſum refellat, conſcium
Intus, pari quàm crimine
Alios frequens offenderis.
23 Hæc cuncta quiſquam me priùs
Non auſus alter penitiùs
Haurire retruſa, ut adyta

Jam mî patere crederem
Sapientiæ: illa ſed celer
Hôc fugit à me longiùs.
24 Heu quàm remota Numinis
Conſilia ſummi, ſenſibus
Quis illa tam caligine
Demerſa vaſtâ pervaget?
25 Quin illa potiùs pervia
Rerum legamus: ſi datur
Rimando ſingula aſſequi
Quæ recta rectis & ſuas
Ferre rationes; alterâ
Ac parte diſcere impias
Fraudes inanium, rapit
Quos cœcus error, omnium
Rerum imperitos quò lubet.
26 Hìc nil ego efficacius
Muliere vividos viri
Tardare comperi impetus,
Quæ morte ſævâ immitior
Animas rapit, tot ſubdolis
Quos ſpirat ore caſibus
Plagásque ſupponit, ſibi
Addicat uni ut compede
Durâ revinctos quos tenet.
Hæc qui benigno Numinis
Favore ſummi nititur,
Ridebit, utcunque arctiùs
Irretiantur impii.
27 At diſce quò mihi labor
Redierit omnis, dum ſacri
Præſes Sionis, omnia
Mecum voluto, ſingulis
Et immorando perſequor
28 Ubi ratio exſtaret, mea
Quam mens requirit. Et hìc quidem

E mille selegi viris
Unum, sui qui nominis
Non degener: sed feminas
Haud inter omnes unicam
Qualem volebam, repperi.
29 Et fine tandem hoc restiti:
Hominem priorem, dexterâ
Dei potentis, pectore
Recto creatum, & simplici,
Ipsúmque semet plurimùm
Ratiocinando obtundere,
Simplexque verum haud consequi.

CAP. VIII.

1 VEri sagacem quis potis
Æquare? quisvè certior
Obscura promere? hinc decor
Pudore missus enitet
Vultu modesto plurimus.
2 Sic os verendum Principis
Quo sancta majestas sedet,
Demissus observa, ut Dei
Jurata decreta haurias.
3 Tum nè labora eludere
Oculum sagacem, neu malis
Confise nequiquam artibus
Insiste. Quidlibet potens
Patrare Regum dextera,
4 Ac verba inevitabili
Suffulta robore personant,
Cuiquam haud levia refellier.
5 Dicto audiens sed cautiùs
Peccata vitabis, quibus
Corda sapientum obsistere
6 Tempúsque, normáque omnibus
Præscripta rebus, ordine

Docent

Docent perenni: ſed ſibi
Mortalis ultrò fabricat
Perplexa quiſque incommoda.
7 Dum nil futura prævidens
Cuncta experitur, irritis
Conatibus, nec anxio
Oſtendit ullus quo cadent
Ventura quæque ſub exitu.
8 Quis ferre legem flatibus
Præſumat auræ, ut reprimat,
Laxétve dum lubet? diem
Siſtátve mortis, ſi manum
Injecit illa? quis animos
Ad bella ſuggerat? ac neque
Fides malignis artibus
Pœnam prementem evadere.
9 Perſpecta longo proloquor
Uſu priús: nec deſtiti
Secretiora perſequi
Si quæ laterent maximo
Sub æthere. An hominum genus
Pronum imperare, neſciat
Modum nocendi cuilibet?
10 Hoc uſque calle ſtat tamen
Securus impius, ſuo
Senex ſepulchro & conditur,
Et tot nefanda, tot ſacra
Eluſa, vidi civium
Oblivione obvolvier.
Quæ maxima eſt inanitas.
11 Sic lenta vindicis manus
Dum ſcelera differt, hoc ſibi
Indulget audendo, nefas
In omne propenſum genus
Ab uſque prima origine.
12 At ipſe non, ſi centies

Pecca-

Peccatur, ultor nec manum
Urget potentem extendere:
Metuam bonis quin omnia
Ceſſura proſperè, ut Dei
Verenda majeſtas, pio
Tremore mentes occupat.
13 Maliſque contrà, queis fluet
Inanis ætas, qualibet
Celerior umbrâ: quòd nihil
Pavore tanguntur Dei
Nutu tenentis omnia.
14 Inde aliud occurrens malum
Multam faceſſebat mihi
Moleſtiam: ut juſtos frequens
Haberi iniquorum loco,
Malósque contrà, ceu bene
Vitam ordinantes comperi.
Quin vidi utróſque non ſui
Referre meriti præmium,
Mecúmque mirabar nihil
Non vanitati obnoxium.
15 Quis inter hæc non efferat
Hunc laude, vitæ qui ſciat
Florem beatæ carpere,
Et mente purâ fructibus
Veſci laborum, quamdiu
Decurrat ætas, Numinis
Conceſſa amici munere?
16 Hìc ego tamen quid tendere
Mens poſſet ultrà, cùm diu
Noctúque ſomni neſcios
Homines viderem involvier
Multo labore, exactiùs
Mecum parabam expendere.
17 Omnémque mentis impetum
In opera converti Dei,

Quæ

Quæ multa; ſed nefas tamen
Hoc ingeni modulo aſſequi,
Ut quæque concinnet, licet
Omnia revolvens omnia
Tecum fatiges. non ſacra
Arcana ſi quis altiùs
Adiſſe præſumat, putet
Se quid profeciſſe ampliùs.

CAP. IX.

OMnia peregi ambagibus
Ut me explicarem. Quid Dei
Si ſancta continet manus
Juſti tenaces, ſi pios,
Res & piorum. Non tamen
Hoc clariora conſpici
Indicia amoris? at neque
Apparet odio quo malos
Juſtè execretur; cùm ferant
Succeſſum eundem ſingula,
Quæcunque candens maximo
Obvolvit æther ambitu.
Juſtos, & injuſtos, pios,
Puros, profanos ſors manet
Æqua, ut frequens, ſic infrequens
Cultor ſacrorum, nec bonum
Diſtinguit illa ab improbo,
Purámque conſcientiam
Juratus, idem qui pavens
Retruſa cordis pandere.
Hinc cauſſa labis, dum nequit
Diſcrimen ullum cernere
Mortalium in rebus, malum
In omne præceps gens ruit
Veſana, ſenſímque ingruens
Immen ſa vitiorum lues

Adhæſit

Adhæſit altè ſenſibus;
Hac quiſque tandem & orbitâ
In vinc'la mortis decidit.
4 Ac cui fides hac in hominum
Contagione perfrui
Placidâ quiete? aut æſtimet
Quis lucis uſuram? hac tamen
Cum ſorte potior ſit canis
Vivens leone, belluis
Sueto imperare, lumina
Si ſæva jam mors clauſerit.
5 Scit namque quiſquis æthere
Veſcitur aperto quæ ſibi
Calcanda reſtant limina,
Mortémque nulli parcere:
At mortuus nil ſenſibus
Valet, nec ullum percipit
Fructum laboris, obrutus
Oblivionum nubibus.
6 Sic penitus omnis concidit
Vigor animorum; non amor,
Odium nec ultrà quid poteſt,
Non mentis ardor; at neque
Pars reſtat ulla in omnibus
Sub hoc creatis æthere.
7 Quin potiùs illis, dum datur,
Utens benigniùs, dapes,
Uvæque ſuccum condias
Mentis quietæ gaudio,
Dictantis intùs res tuas
Summo placere Numini.
8 Incede veſte ſplendidâ,
Nec, dum licet, odorem comis
Remittat unquam ſpargere
Fragrantis unguenti nitor:
9 Ac vive, caræ & conjugis

Indulge amori, volvitur
Quàm longa inanis hæc tibi
Concessa vita sub polo.
Hac sorte rerum nam tibi
Utcunque trepides, haud erit
Quidquam amplius decerpere.
10 Tum quæque, recta quæ putas,
Aggredere fortiter, priùs
Quam vana imago desidis
Cogare ad Orci regiam.
Non molliendam, quam neque
Clarabit ulla consili
Vis, aut labores impigri,
Doctrináque, & sapientiæ
Torpebit omnis impetus.
11 Sed & hîc videbam crebriùs
Cursu valentes; non tamen
Palmam referre: aut prælio
Redire victorem manu
Ut quisque præstaret: ferè
Et providentes vivere
Rebus in egenis: ast opes
Homine ab inerti condier.
Quin sæpè ineptis gratia
Spreto sciente arriserit.
Ut tempus, & variæ vices
Sub sole versant omnia.
12 Tum turba piscium ut plagis
Capitur malignis, & parùm
Cautæ volucres incidunt
In vincla: sic mortalium
Prævisa nulli, mors pede
Dolosо in omnes irruit.
13 At inter hæc tot casibus
Perplexa quantumvis, tamen
Sapientiam adverti, mihi

Et viſa multùm excellere.
14 Exilis urbs erat, neque
Viris abundans. Principis
Cui fuſa circum illudere
Latè tyranni, viribus
Conſilia maximis manus.
Jámque pavor intùs (heu brevi
Tanta aggerum molimina
Sublata conatu!) omnium
Turpis animos invaſerat.
15 Hîc ni repertus vir foret
Præſentiore pectore
Neglectus anté: at irritos
Penitùs repreſſit impetus,
Patriámque virtus inclyta
Nutu in ſupremo liberat.
16 Hîc ego potentem extollere
Sapientiam, non viribus
Domabilem: ſub paupere
Sed uſque tecto ingloria
Alget, nec aurem quis parat
Vocem ad monentis tendere.
17 Aſt illa leni nectare
Mentes quietas dulciùs
Inſtillat: aures quàm ferit
Strepitus potentium, quibus
Inſana corda perſonant.
18 Sapientiæ non bellica
Quis arma conferat ſacræ
Inefficacia: at malo
Qui merſus errore, heu bona
Quàm facilè perdit plurima!

CAP. X.

1 UT doctus unguentum artifex
Odore ſaturo condiat:

Si quæ ex levi fortè agmine
Strepitante circum adhæſerit,
Vitámque linquat: protinus
Putreſcit intùs, & gravi
Fœtore totum diſperit.
Vis tanta morbi; ſic honor
Quicunque, virtus & ſacra
Elanguet animis, paullulùm
Inſaniæ ut ſubrepſerit.
2 Mens dextra ſanis pectore:
At læva ſtultum deficit
3 Fruſtrà ordientem plurima,
Prodat ut inanem inſaniam.
4 Te ſi qua tentet avidior
Rerum cupido, nè tamen
Nè tuta deſeras, quibus
Aſſuetus antè, ac ſanior
Compeſce tumidos ſpiritus,
Ut gravia declines mala.
5 Tum quis potentem ſub polo
Non cuncta credat, ut cadunt,
Opes, honores, ſpargere;
6 Dum cernis inſanum altiùs
Caput efferentem, inglorium
Sedere fortem pectore?
7 Quàm ſæpe vidi, qui priùs
Viles miniſtri, mox equis
Tolli ſuperbos, maxima
Turba in clientum; Principes
Et ſorte verſâ, lumine
Humi rejecto incedere!
8 At fallitur quiſquis malæ
Confidit arti, Si ſcrobem
Fodit doloſam, corruet
Huc primus. Illum & diruet
Qui ſepta vicini, latens

Coluber ruinis impetet.
9 Omnia pericʼlis obſita,
Omnia labore: transferat
Quicunque moles, pondere
Lapidum fatigatur, ſuo
Quiſque & pericʼlo robora
Inſtat bipenni findere.
10 At hic retuſo ſi paret
Secare ferro, nec aciem
Utramque terget, quámlibet
Ingeminet ictum, & arduus
Operi ingemiſcat; vix tamen
Proficiet, ars ſed porriget
In rebus anxiis opem,
Quique ſapiet præſentior
Damna reparabit quælibet.
11 Neglecta ſi non torpeat
Vis ingeni: at nil ceteris
Arcana doctus murmura
Præſtat, tacentem perfidus
Si dente ſerpens ſtrinxerit.
12 Verba ſapientum profluunt
Mellita ab ore: at futilis
Garritus inſanum arguit,
13 Stultè ordientem, ut exitu
Inaniore deſinat.
14 Neque minùs ille quidlibet
Sermone fruſtrà plurimo
Aggreditur. At fas nemini
Prænoſſe ventura, nec habet
Mortalis hæc unde hauriat.
15 Labore pariter irrito
Inſanus idem, cùm modum
Servare vitæ neſciat,
Noctes diésque inæſtuat.
16 Heu! miſera regna, queis puer

Dat jura, ſummi & Principes
Manè epula tractant, ac jocis
Ignava condunt tempora.
17 Sed terra floret, dum præeſt
Quem laus parentum exuſcitat
Præclara: non ſub hoc caput
Gulæ miniſter exerat:
At pura virtus, & cibum
Vires foventem ſumere.
18 Quàm firma contignatio
Aſſurgat ædium, manus
Si poſſidentis torpeant,
Senſim labaſcit, & imbribus
Hiſcit inimicis undique.
19 Dum quiſque præfert gaudiis
Immergier mero, & jocis
Addictus, & pecuniæ
Humana parent omnia.
20 At inter hæc nè Principem,
Rerum & potentes carpere,
Vel mente tacitâ, dum tuo
Lates cubili, absque arbitro
Præſume: nè prætervolans
Avis imprecantem deferat,
Et prodat incautum, tuum
Quam neſciebas in caput
Volucre pennâ elabier.

CAP. XI.

1 INſiſte nil minùs bono
Largus in egenos, alveo
Panémque qui præterfluit
Committe, longa quem tibi
Demum reportabit dies
Non absque largo fœnore.
2 Effunde abundè quod tua

Offert facultas, & manus
Pateat adhuc, ac præripe
Occaſiones, dum licet,
Bene faciendi: Nam mala
Non cuncta nôſti, quæ pede
Properante terras permeant.
3 Suſpice patentis ætheris
Facies benigna, ut nubibus
Diſtenta, largis imbribus
Operum labores recreet
Sinu refuſo. Tum plagam
Quicunque ad Auſtri decidat
Notíve truncus, non potis
Prolapſus ultrà aſſurgere.
4 At omnia incuſat, manus
Cui lenta torpet: non ſeret
Ut hæret anxius, notans
Ventos, & imbrium timens
Semper fragores, nec metet.
5 Non ipſe nôſti ſpiritus
Unde animet oſſa, maximo
Formata mirac'lo fovet
Quæ fœta matrix: ſic Deus
Non cetera capis quæ facit,
Non miſta magno ut corpori
Mens alma verſet omnia.
6 Te ſole primo, te juvet
Vergente in umbras, ſemina
Mandare ſulcis, neſcium
Utrùm hoc, an hoc generoſius
Surget in ariſtas, an pares
Utrumque meſſes proferet.
7 Lux dulcis, ac jubare aureo
Nil gratius ſolis, oculos
Quod recreat, vitam & facit
8 Suavem, dies ſi plurimos

Quis cernat: ille aſt ut memor
Componet adverſis bona
Ut quæque perpeſſus: nihil
Non judicabit maximâ
Inanitate involvier.

CAP. XII.

1 VItæ ſed indulge, decor
Dum floret, ætate integrâ,
Lætúsque properantem bonis
Satia juventam, cor tibi
Utcunque dictat, nec oculis
Quæ grata ſubtrahe: at memor
Hæc inter eſto judicis
Ut ante ſiſtendus Dei
Clarum tribunal, ſingula
Qui pendet æquo examine.
2 Bilémque remove pectore,
Neque cruciare ſingulis
Nimiùm immorando: labitur
Inanis ætas, ut prior
Vix nota puero: ſic ſequens
Utcunque matura effluet.
3 Primis ab annis ſed Dei
Imbibe timorem, qui manu
Te finxit artifice, priùs
Quàm te ſenectus improba
Deprendat, atque ad omnia
Quæ grata quondam nauſees.
4 Sol antequam tibi aureus
Caliget, atque argentea
Luna, vigilésque ſiderum
Globi nitorem ſubtrahant,
Et nigra nubes imbribus
Denſata, ſurgat undique
Convexa ſupera offundere.

5 Quàm membra, queis compaginis
Stat cura totius, gravi
Tremore sensim elangueant,
Custode deserta ut domus
Dilabitur: tum crurium
Viror remittat: ac neque
Sufficiat ultra dentium
Vix numerus hærens, tundere
Ingesta; cara & lumina
Jam sentias tenebrescere.
6 Tum labra claudendo sonus
Frustratur effœtum, molâ
Versante nequicquam: obstupet,
Simul avis arboris comam
Dimovit errans: fit modos
Hebes ad omnes, quámlibet
Placentis olim carminis.
7 Casúmque ab alto, nec minùs
Depressa formidat, viâ
Non tutus ullâ: tum coma
Florere, fit caro & sibi
Ignava pondus; & vigor
Ille omnis expleri inscius,
Tandem fatiscit. Nam domum
Jam migrat æternam, & frequens
Hunc turba circum munera
Properat suprema solvere.
8 Sed antè disce Numinis
Reverentiam, quàm diffluat
Liquor medullæ argenteus,
Ac vita cordis capsulâ
Erumpat aureâ; antequam
Et testa rumpatur supra
Fontem effluentem, dum suos
Revolvitur in orbes rota,
Haud apta rursus tendier

Puteo liquorem ut hauriat.
9 Tum pulvis in terram redit
Primam parentem; ſpiritus
Afflatus à Deo, ſuam
Revolvitur ad originem.
10 Inania hìc, inania
Iterabat ille regius
Antiſtes omnia, ac nihil
Conſiſtere uſquam, ceteris
11 Hoc doctior mortalibus
Quòd vana ſciret omnia.
Hinc ille veri inſiſtere
Populos docebat tramite
Ab ore pendentes ſacro,
Recluſa rerum, dum priùs
Peracta ſecum, examine
Promit profundo plurima.
12 Sic ſingulis expendere
Quæ ſenſa mentibus forent
Perſtabat, hinc ut poſteris
Quæ veriora ex ordine,
Stylo & decente traderet.
13 Sermo ſapientum ſpicula
Infigit altè mentibus,
Atque reſides exuſcitat.
Summúsque conſiliis viros
Præfecit Arbiter, quibus
Dedit ora junctim ſolvere,
Legésq; ſanctas condere.
Quæ, clavus ut adamantinus
Defixus alto vertici,
Perſtent inevitabiles.
14 Hinc tu nec ultra inquirere
Præſume, fili, cùm modus
Haud ullus unquam maximo
Librorum acervo, nec lucri

Aliud

Aliud reportes, quàm frequens
Ut cura ſenſus torqueat.
At vita jam mortalium
15 Quo volvat omnis cardine,
Cui quiſque perſtet muneri,
Audita dudum. Maximum
Venerare Numen, & pius
16 Capeſſe juſſa: Nam nihil
Latêre quem pote arbiter,
Expendet æquo examine
Nefanda, fandáque omnia.

FINIS.

Paraphraſis hæc Eccleſiaſtis Salomonis, carmine Iambico expreſſa per Vivianum, *utiliter imprimi, & publicari poteſt.*

HONORATISSIMO AC NOBILISSIMO DOMINO, *ANTONIO*, Comiti *Cantii*, Domino *Haſtings, Weisford*, & Domino *Grey de Ruthin.*

Honoratiſsime Comes, Chariſſime Domine, flos ſurgentis, & refloreſcentis Nobilitatis,

CRedo ego non defuturos, qui dicant, me hâc Dedicatione meo ipſius potiùs quàm tuo honori velificatum, qui tenui adeò & levidenſi Opuſculo tam illuſtre nomen præfixerim. Et verum ſanè dicant, modò & id

unà fateantur, me hõc etiam præterea, imò præcipuè & inprimis ſpectâſſe, ut publicum aliquod extaret intimi mei erga te amoris, ſ mmæquæ obſervantiæ pignus ac monumentum. Pertinacem tuam in ſtudiis diligentiam, progreſſum in literis & diſciplinis liberalibus non vulgarem, inſignem morum ſuavitatem & candorem, prudentiam ſupra annos, & (quod plus eſt) pietàtem eximiam, aſſiduitatem in cultu divino, publicísq; Eccleſiæ precibus in ſacello ſingulare, quâ potiſsimùm aliis exemplo præis, & veluti gemma in hoc (ut ita dicam) annulo Collegii noſtri cæteris omnibus præluces atque præfulges: hæc & hujuſmodi loquantur alii; ego non ſic lædam frontis tuæ teneritudinem, nec pudori & modeſtiæ tuæ has machinas admovebo: eóque minùs, nè fortè, ſi meritiſsimas tuas laudes deprædicare velim, videar & mihi etiam nonnihil tribuere, qui tam egregiæ ſpei & indolis & nobilitatis ſurculum fidei & culturæ meæ commiſſum habeam & commendatum. Tantum eſt, Nobiliſsime Domine; Sacra hæc Poemata, Epithalamia ſcilicet, quæ tranſtuli, & Epigrammata quæ compoſui,

ſui, utraque ſanè jam olim juvenis, tibi utiq; prætextato juveni, principi juventutis Academicæ conſecrare, tuóque Honoratiſsimo nomini inſcribere volui; ut, ſi genium habet *hic* liber, *longùm* victurus, *(quod auguror certè & ſpero) apud poſteros etiam index & teſtis ſit, quàm arctè & religiosè fuerit*

Honori tuo omni amoris & obſequii

nexu mancipatus,

Jacobus Duport.

EPITHALAMIA SACRA,

Sive

Canticum *SOLOMONIS* metricâ Metaphrasi *donatum.*

Vers. CAP. I.

1 HÆc ea sunt toto celeberrima Cantica libro,
Mysticus ambigui vel Solomonis Hymen.
2 Oscula mî jungat, plenóque infigat ab ore,
Namque tuus vino præstat amœnus amor.
3 Quàm tibi suavis odor, spirans myrothecia tota!
Unguenta ut redolent, dulcis amice, tua!
Tale tuum nomen, qualis de pyxide fusi
Spargitur unguenti suaveolentis odor.
Ergò puellarum tu lux, tu sola voluptas,
Virgineíque amor es, deliciæque chori.
4 Attrahe me, gressu te non dubitante sequemur,
Parentes ductu, nec mora, quæque tuo:
In thalamos Rex ipse suos me duxit amanter;
Nostra salus tecum, gaudia nostra manent:
Plusquam vina tuos meminisse juvabit amores:
Hæret in amplexu sancta caterva tuo.
5 Nigra quidem, fateor, sum, eadem tamen ipsa decora,
O germana cohors, quam fovet alma Salem.
Is color in facie, qualis tentoria tingit
Cedræa, ambustas sole Arabúmve domos:

Is decor in vultu, quali Solomonis in aula
Fulgere cortinæ, pictáque vela solent.
6 Nigra mihi cutis est, oculos avertite vestros,
Me solare suo torruit igne jubar.
Hei mihi, quòd fratrum sensi fera corda meorum,
Qui vineta mihi nempe colenda dabant;
Cùm tamen ipsa meas vidi sterilescere vites,
Squaluit & dominâ vinea cassa suâ.
7 Dic age, chare, precor (misereſce rogantis amicæ)
Dic ubi, chare, tuum pascis, amice, gregem:
Dic mihi, qua medios soles, qua fallis in umbra,
Nè ferar in comites devia fortè tuos.
8 Si nescis, formosa, gregum vestigia serves,
Et secus attegias coge, puella, pecus.
9 Te Pharaonis equis similem, mea Vita, putavi:
10 Gemmis formosæ sunt tibi, Nympha, genæ.
De niveo pendent lasciva monilia collo,
Inque sinus gaudent labier usque tuos.
11 Aurea mox pulchras cinget tibi fimbria vestes,
Argenteis bullis fiet & illa gravis.
12 Dum Rex discubuit, misit mea nardus odores.
13 Fasciculus myrrhæ naribus ille meis.
Ergò etiam nostris placidè requiescet in ulnis,
Non intermisso ritè sopore fruens.
14 Cyprius Engediana inter vineta racemus
Qualis odoratu, sic mihi Charus olet.
15 En quàm formosa es, mea candida, quámq; decora,
Quámque columbinis dulcè nites oculis!
16 Tu quoque formosus, mi candide, túque decorus;
Qui netiam vernat noster, amice, torus.
17 Cedrina tigna domûs nostræ, & laquearia tecti
Abiete de secta sunt nitidæque trabes.

CAP. II.

CAP II.

1 IPſe ſum campi roſa, liliúmque
2 Vallis; En! inter reliquas ſorores,
Lilium ſpinas velut inter atras,
Chara refulges.

3 Arbores inter velut alta malus,
Sic meus charus micat inter omnes
Filios; ejus placida ſub umbra
Tuta reſedi.

4 Il'ius fructus mihi dulcis; Ille
Duxit ad feſtum me, & amœna vini;
Méque vexillo intereà pudici
Texit Amoris.

5 Fulciar malis, recreer lagenis:
Languidum multo mihi cor amore.
6 Læva ſubſidit capiti meo, com-
plexáque dextrâ eſt.

7 Oro vos, Nymphæ, ſoboles Sionis,
Capreas & per, per & hinnulos, nè
Corculum ſomno priùs excitetis,
Quàm lubet ipſi.

8 Vox mei chari, ſuper (ecce!) montes
Et ſuper colles ſaliente greſſu
Advolat charus mihi per ſalebras,
Et juga ſumma.

9 Capreæque inſtar celer hinnulíque;
Ecce pòſt murum latet ille noſtrum,
Pérque cancellos micat, è feneſtra
Proſpicit alté.

10 Tum meus charus mihi, Surge, dixit,
Et veni, dilecta, columba, pulchra,
Solvitur brumæ rigor, & nivalis
Tranſiit imber.

12 Jam vigent flores, aviúmque cantus;
En adeſt tempus minuritionis,
Turturis vox & reſonat per oras
Undíque noſtras.

13 Ficus en-groſſos parit, alma vitis
Dulce quid prægnans olet: ergò ſurge,
Et veni, dilecta, columba, pulchra,
Quid, mea, differs?

14 Quæ ſub occultis habitas columba
Rupium clivis, faciem tuámque
Rimer, & vocem capiam; hæc ſuavis,
Illa decora.

15 Parvulas illas, teneris nocivas
Vitibus (vites onerantur uvis)
Parvulas illas mihi, noxiásque
Prendite vulpes.

16 En meus charus meus eſt, & ipſa
Sum mei (ſic nempe reciprocamur
Mutuo nodo) meus eſt, & inter
Lilia paſcit.

17 Dum dies atras fuget ortus umbras,
Chare mi, cura redeas: ſed inſtar
Hinnuli ſis, aut capreæ, Betheræ in
Montibus altis.

CAP. III.

1 PErnox in viduo dum jacui toro,
Quæſivi, heu, animæ dimidium meæ;
Quæſivi miſera, at nullibi repperi.

2 Surgam nunc, & amaſium
Quæram ſollicitè, compita circuens,
Et totâ plateas urbe perambulans;
Nuſquam non petii, nullibi repperi.

3 Caſu me vigilum vaga

Depren-

Deprendêre cohors, quos avidè rogo,
Vidiſſéntne meum forſan amaſium.
4 Nec longè vigiles præterii priùs
Quàm charum reperi meum.
Tunc illum arripui, amplexa tenaciter,
Amplexúque avido fortiter occupans,
Perduxi patrios protinus ad lares,
Et matris thalamum meæ.
5 At vos, ô Solymæ dulcia pignora,
Adjuro capreas per, per & hinnulos,
Invito requiem nè placidam meo
Abrumpatis amaſio.
6 Quænam hæc fumiferæ conſimilis trabi
Deſerto egrediens, turáque olentia
Et myrrhæ lacrymas ſpirat, & omnia
Mercatoris aromata?
7 En lectum egregium, qui Solomonis eſt;
Illum nobilium turba ſatellitum,
Ter viceni homines undique muniunt
De magnatibus Iſrael:
8 Omnes armigeri, viribus inclyti,
Succincti gladio quiſque ſuper femur,
Nocturnus dominum nè moveat timor.
9 Currum magnificum ſibi
Confecit Solomon de Libani cedris:
10 Argento è nitido fulcra micantia,
Auro de rutilo magnificum ſolum,
Tectum purpureum fuit:
Partem Rex mediam ſtravit amoribus,
Vobis, ô Solymæ dulcia pignora;
11 Quin prodite nurus ergò Sioniæ,
Et ſpectate avidæ, ſimul
Regem ipſum Solomona, & diademate
Quali ornárit eum chara parens die
Sacro, quo ſua ſponſalia filius
Læto corde peregerat.

CAP. IV.

1 PUlchra es, deliciæ meæ, puella,
Pulchra es; turgiduli velut columbæ
Comarum è medio nitent ocelli:
Capilli tibi sunt velut capellæ
Jugo de Gileadis emicantes.
2 At dentes ovium gregi tenello
Tonsarum modò, consimillimi stant,
Quæ lotæ bene rivulos relinquunt:
Quarum quæque suos parit gemellos,
Nec curam domini fefellit ulla.
3 Instar coccinei labella fili
Perbellè rubeo nitent colore;
Sermones adeò tui venusti.
Granati quasi fragmen ecce mali
Splendent tempora pulchra per capillos.
4 Stat cervix similis Davidis arci,
Unde ancilia mille, mille peltæ
Appendent. clypei virûm potentûm.
5 Necnon & geminæ tibi papillæ
Assurgunt capreæ velut gemellæ
Pascentes super arva liliorum.
6 Donec lux oriens fugârit umbras,
Montem suaveolentem adibo myrrhæ,
Collem suaveolentem adibo thuris.
7 Pulchra es, deliciæ meæ, puella,
Tota es candida, tota labis expers.
8 Veni de Libano, puella, mecum,
Mecum de Libano veni, puella,
Celsis despice de jugis Amani,
Et de verticibus Seniris alti,
Hermonisque sacri jugis amœnis,
Fulvorúmque cubilibus leonum,
Pardorum quoque montibus ferorum.
9 Inflammâsti animam mihi misello,

O

O germana, eadémque chara conjux,
Cor in pectore ſaucium dediſti
Uno (proh dolor!) è tuis ocellis,
Uno, candida, torquium tuorum,
Pendentûm niveo, puella, collo.
10 Quàm pulcher tuus eſt amor (meum cor)
Quàm vino potiórque gratiórque,
O dilecta ſoror, pudica conjux!
Unguentorum & odor bonus tuorum
O quàm vincit aromata univerſa!
11 Merum mel liquidum, favúmque mellis
Diſtillant tua, corculum, labella.
Mel cum lacte tuæ ſubeſſe linguæ
Videntur, neque veſtium tuarum
Odores Libano minùs ſüaves.
12 Vallatus mea nympha ſicut hortus,
Tanquam ſonticulus vel obſeratus,
Intercluſâve rivulis ſcatebra.
13 Sunt pomaria fructibus referta,
Plantæ & frugiferæ tuis in hortis,
Malorúmque propago Punicorum,
Pomorum paradiſus, atque frugum,
Et cypri redolentis atque nardi.
14 Cum nardo crocus, atque cinnamomum
Creſcit, cum calamo, omnibúsque plantis
Thuris, myrrhæ, aloes, aromatúmque.
15 Fons hortenſis ibi perennè manans,
Ibi & flumen aquæ ſcaturientis,
Rivi & de Libano fluentis undæ.
16 Surgas, ô Borea, & ſerenus adſis,
Aſſurgas, Note, mollitérque ſpires,
Et te flante meus vireſcat hortus:
Aſpires, ut aromatum meorum
Veſtro munere meſſis ampla fiat.
Dilectus veniat ſuos in hortos,
Et fructus comedat ſuos süaves.

CAP. V.

1 IPse meos tandem veni opportunus in hortos,
O sponsáque & soror mea:
Stillantem lacrymas myrrham legi (ecce) meorum
Cum messe grata aromatum.
Vina bibi cum lacte, favum cum melle comedi,
Quàm dapsilè gulam fovens.
Eia agite, ô socii, comitésque, bibatis, amici,
Imò bibatis strenué.
2 Dormio; sed vigilat mihi cor: Quæ verberat aures,
Amasii vox est mei.
Qui stat præ foribus pulsans, clamánsque, Reclude,
Reclude jam fores mihi.
O soror, ô dilecta veni; quid pulchra moraris?
Quid usquè differs, candida?
Repletur mihi rore caput, noctísque vapore
Guttísque cincinni madent.
3 Quî liceat positas iterum mihi sumere vestes?
Fœdare vel lotos pedes?
4 Et tum fortè mei manus insinuârat amici
Intra foramen ostii.
Incaluêre mihi subito mox viscera motu,
Amasii vidi ut manum.
5 Tunc & surrexi properè, miserata rogantem,
Illi ut recluderem fores.
Dúmque seram tetigi, super ipsa manubria myrrhâ
Manare cœperunt statim
Rorantes digiti, stacten & suaveolentem
Stillare liquidam manus.
6 Illius ad vocem (clam se subduxerat ille)
Mihi labârunt spiritus.
Quæsitus multùm, nusquam tamen ille repertus,
Vocem vocatus nec dedit.
7 Interea vigiles, urbis qui compita lustrant,
Me deprehenderunt vagam.

Tunc

Tunc etiam plagas, & ſævis vulnera dextris
Mihi dedêrunt barbarè,
Nil moti formâ, nec adhuc juvenilibus annis.
Cuſtósque mœnium cohors
8 Me denudârunt peplo. Vos, alma propago,
Oro, Sionis filiæ,
Dicatis noſtro, ſiquà videatis, amico,
Amore me langueſcere
9 An tuus ergò procos excellit amaſius omnes,
O Virginum pulcherrima?
Eſtne tuus charus charo præſtantior omni,
Quòd acriter nos ſic mones?
10 Candidus, & rubidus meus eſt dilectus, amicæ,
Et primipilus millium.
11 Huic caput obryzo ſimile eſt, denſíque capilli,
Cirríque, ceu corvus, nigri.
12 Sunt oculi, quales, en, cernimus eſſe columbis
Puros aquarum ad rivulos:
Pulchelli, nitidi, loti quaſi lacte fuiſſent,
Ità albicant bellè ſiti.
13 Tum genæ odoriferi ſimiles ſunt floribus horti,
Vel areis aromatum.
Pulchra labella velut florentia lilia, myrrham
Süavè diſtillantia.
14 Súntque manus, veluti Berylli umbone coruſco
Aurei nitentes annuli.
Venter ebur candens ſapphiris undique cinctum
Et obſitum ſplendentibus.
15 Marmoreas referunt, en, crura erecta columnas,
Quibus baſes ſunt aureæ.
Vultus ei ut Libanus, cedro præſtantior omni,
Quæcunque & illic naſcitur.
16 Os purus putus dulcor; dulciſſimus ipſe,
Et totus eſt amabilis.
Mellilus hic meus eſt, hic cor, hic ſola voluptas:
Hunc quæro, filiæ Salem.

CAP.

CAP. VI.

1 Quò loci charus tuus hinc abivit?
Aut ubi liquit tua te voluptas?
Pulchra, dic nobis, ut eum queamus
Visere tecum.

2 In suum descendit amicus hortum,
Quâ vigent fructus, ubi aromatúmque
Areæ; ut lætos epulans per hortos
Lilia carpat.

3 Ipsa sum chari, paritérque charus
Est meus; (sic nempe reciprocamur
Mutuo nodo) meus est, & inter
Lilia pascit.

4 Ecce formosa es, mea Nympha, Tirzæ
Instar, ac instar Solymæ decora,
Fronte terrorem geris, ut phalanges
Signa ferentes.

5 Splendidos à me retrahas ocellos,
Nam meum pectus malè fascinârunt.
Sunt tui crines quasi grex caprarum
De Gileade.

6 Albicant dentes, ut oves lavacro
Nuper egressæ, gravidæ gemellis
Singulæ, nec dum sterilescit ulla
De grege toto.

7 Punici fragmen velut ecce mali,
Sic odoratos tua per capillos
Pérque cincinnos bene tortuosos
Tempora fulgent.

8 Súntque Reginæ comites amicæ
Sexies denæ tibi, pulchra virgo,
Octies denæ quoque concubinæ, &
Mille puellæ.

9 Una

9 Una dilecta est mea, suavíumque,
Matris una, ac unica, sola cura,
Et salus, & deliciæ, & voluptas
Illa parentis.

Quam simul castæ aspicerent puellæ,
Prædicârunt unanimes beatam,
Immò Reginæ quoque pallacæque
Concelebrârunt.

10 Quænam ut Aurora hæc oriens refulget,
Pulchrior Lunâ, superânsque Solem
Gloriâ, hæc tam terrifica ut tremendis
Agmina signis?

11 Hortulum intravi nucibus refertum,
Vallium fruges cupiens videre, an
Floreat vitis mea, germinétve
Punica malus.

12 Mox repentino cor amoris œstro
Percitum; & raptam me inopina sensi,
Fervidis ac si veherer quadrigis
Amminadabi.

13 Quin redi, formosa, redi, puella,
Quin redi mox, O Sulamitis alma;
Ut tuo aspectu propiùs fruamur.
Quid Sulamitis,

En, habet spéve hâc, oculísve dignum,
Quòd flagratis sic studio videndi?
Prælio binas acies paratas
Ordine pulchro.

CAP. VII.

1 O Clara Regis progenies, tui
Quàm sunt decori calceolis pedes!
Gemmæ ut nitentes arte sculptæ
Articuli femorum tuorum.

2 Crateris instar sanguine succidæ
Uvæ repleti, & purpureo mero,
Pulchri, globosi, ventre turget
E medio tuus umbilicus.
Ventérque farris congeriem refert
Obsessam amœnis undique liliis.
3 Nec non tuæ binæ papillæ,
Consimiles capreis gemellis.
4 Cervix adinstar turris eburneæ;
Hesbonis ut piscinæ oculi tui,
Bathrabbicam ad portam fluentes.
Stat Libani velut alta turris
Nasus, Damasco quæ supereminet.
5 Carmelus ut mons, aut quasi coccinum,
Caput decorum, tum capilli
Purpureo rutilant nitore.
In ambulacris formæ inhians tuæ
Rex, ceu ligatus compede permanet.
6 Quàm pulchra, quàm jucunda, bella,
Aptáque deliciis, amica, es!
7 Quali staturâ palma viget, viges;
Mammæ racemis sunt similes tuæ.
8 Ascendere in palmam volebam,
Prendere frugiferósque ramos.
Erunt racemis & similes tuæ
Binæ papillæ, (ut ritè sororiant!)
Spirabit & nasus süaves,
Mala quibus redolent, odores.
9 Tuum palatum ut vinum erit optimum
Charo meo aptum, quod placidè fluens
Permulcet os, & dormientûm
Prolicit è labiis loquelam.
10 En ipsa Chari delicium mei,
Una omnium illi & meta cupidinum.
11 Petamus agros, inque villis
Noctem, age, Lux mea, transigamus.

12 Et

12 Et vineas mox manè videbimus,
An fortè grato palmite floreat
Fœcunda vitis, pampinúsve
Parturiat teneros racemos;
Malúsve tandem Punica germinet.
Illic amoris delicias mei
Tibi profundam, gratiásque.
13 Mandragoræ placidos odores
Halant; abundè & pro foribus meis
Sunt poma, fructúsq; omne genus mihi,
Sunt & novi, sunt & vetusti,
Quos pariter tibi, Chare, servo.

CAP. VIII.

1 O Si frater uti meus fuisses,
Meæ qui ubera luctuit parentis!
Tum te, mellile mi, deoscularer
Extra repperiens, vel absque probro,
Ut nequis malus invidere possit
Jucundas mihi basiationes.
2 Tibi me comitem darem, meæque
In conclavia ducerem parentis,
Quæ me consiliis suis juvaret;
Fragrantem tibi murrhinam propinans.
Miscerem in pateris aromatiten,
Malorum latices Apyrinorum:
3 Læva ejus capiti meo subesset,
Me circundaret illiúsque dextra.
4 Oro vos ego, feminæ Sionis,
Ut nè, delicias meas, amicum
Excusso malè palpebris sopore
Priùs quàm velit ipse suscitetis.
5 Quænam hæc egregiæ puella formæ,
Eremo egrediens, amasiíque
Innitens gremio sui? sub umbra
Mali te arboris ipse suscitavi:

Enixa

Enixa est ibi te parens; ibíque
Est experta puerperî dolores.
6 Cordi me adde tuo, velut sigillum,
Ut signacula brachio tuóque.
Fortis nempe amor est, potens cupido,
Nec mors fortior est, potentiórve;
Nec vis est minor æmulationis,
Ipsum quâ neq; durius sepulcrum:
Candentes alit igneásq; prunas,
Suo pectore suggerente flammas.
7 Nullo diluvio potest aquarum,
Nullis viribus ingruentis undæ
Restingui vehemens amoris ardor.
Venalem cave nè putes amorem;
Si cunctas dederis opes, ut illum
Lucrari poteris, nihil valebis,
Conscisces tibi probra, non amorem.
8 Habemus quoque parvulam sororem;
Est germana, sed (ô pudor!) vel illa
Quavis pejor Amazone, absque mammis;
Est nobis tamen: & quid huic sorori,
Ejus quando aderit dies, agemus?
9 Murus si fuerit, palatium illi
Argento è nitido superstruemus;
Quòd si janua, muniemus illam
Ornantes tabulis, cedróque pulchrâ.
10 Murus certè ego sum, meæque mammæ
Ceu turres: favor hinc, amórque nobis;
Cœpi & charior esse, gratiórque.
11 Inter pinguia Balamonis arva
Vineam Solomon habebat olim;
Et custodibus elocabat illam,
Paciscens pretium annuos ob usus,
Mille ut penderet ergò quisque nummos.
12 Coram me mea vinea; indè mille
Debentur, Solomon, tibi quotannis,

Et cuſtodibus illius ducenti.

13 At ô quæ incolis hortulos amœnos,
Attendant tibi cùm tuæ ſodales,
Mellitàmque tuam hauriant loquelam,
Vocem audire tuam & mihi licebit?

14 Feſtines precor, advoles, amice,
Velox ut caprea, hinnulúsve, odora
Transcurrens juga, aromatúmque montes.

FINIS.

Epigrammata Sacra,

Seu,

Carmina in Anniversariis
Ecclesiæ Festis
composita.

In Festo *Circumcisionis Christi*, Calend. *Jan.*

CUr hæc, Jane, tuis celebrantur festa calendis?
Cum circumciso quid tibi, Jane bifrons?
Jani instar Christus retrò spectavit, & anté:
Hinc *circumcisus*, *tinctus* & indè fuit.

Aliud.

VErtitur en Jani cardo, caudámque remordet
Symbolicus serpens, & novus annus init;
Cùm Deus assumptæ carnis præputia ponit;
Antiquus serpens scilicet ista videt,
Et fremit, & Christo pro nobis talia passo
Ringitur, & sese macerat invidiâ.

In Festo *Epiphaniæ*.

MYrrham Homini, pia tura Deo, Regi insuper aurũ
Persę, (Arabésne?) Magi tres tria dona ferunt.
Ex Oriente adsunt, Orientis numen adorant:
Omne bonum nobis ex Oriente venit.

Parebit *ſapiens*, & non *dominabitur aſtris*,
Ad Chriſtum ducit ſi nova ſtella Magos.

Aliud.

TRes Reges vulgò & Sapientes Stella vocatos
Perduxit trinos ex Oriente Magos, (drant!
Infantem ut colerent. Chriſto quàm hæc omnia qua-
Quàm propè qui colitur, quíque colit ſimiles!
Chriſtus nempe *Oriens*, *Stella*, & *Sapientia Patris*,
Denique *Rex regum*, & de *Tribus* unus erit.

In Feſto *Hypapantes*, ſive *Purificationis* B. V. *Mariæ*.

LEx illibatum *Moſaica* poſtulat agnum,
Femina cùm à partu purificanda venit?
Chriſtipera his Virgo parcebat ſumptibus: Infans
Scilicet, in templum quem tulit, agnus erat.
Obtulit at geminas patrio de more columbas,
(Lex etenim hoc donum pauperis eſſe jubet)
Séq; ſuúmq; dedit puerum; nam mater, & infans,
Ambo columbinâ ſimplicitate pares.

Aliud.

OBvia fit Domino, Templo dum ſiſtitur infans,
Anna annoſa ſimul cum *Simeone* ſene.
† *Gratia* & *Obſequium* pariter ſibi facta Deóque
Obvia; quàm felix hæc *Hypapanta* fuit!

† Ità ſonant Hebr. *Anna* & *Simeon*.

In Feſto S. *Matthiæ* Apoſtoli.

IMplet Apoſtolicam ſors quali heröe catervam!
Nec mirum, hanc urnam cùm movet ipſe Deus.

For-

Fortuna amissos reparâsse videtur ocellos,
Matthiâ Clerum susciptente suum.
Clerus sorte datus divinâ hinc jure vocetur,
Cujus Matthias prodromus, *Ordo* sacer.

In Festo *Annuntiationis* B. V. *Mariæ.*

EVa parens lamia (heu!) malo flebat edendo,
Edendóque bono Diva *Maria* fuit.
Angelus hoc *Mariæ* prædixit: scilicet *Eva*,
Si transponatur littera, fiet *Ave*.
Littera transposita est, occidens Littera Legis,
Inque Evangelium Lex abit, *Eva* in *Ave*.

Aliud.

FLoris ab olfactu prægnans Saturnia fertur
Sic Martem peperisse suum, Jovis æmula, nullo
Conjugis auxilio, nec opem dignata virilem.
Sic Maria Angelico postquam sermone refecta est,
Hauserat & suaves verbi cœlestis odores,
(Spiritus ut fuerit promissi seminis author,
Hinc fore perpetuâ florem de stirpe Davidis,
Sharonísque rosam, quam spinæ aliquando coronent,
Albentem vitâque rosam, lethóque rubentem:)
Facta fuit mater, teneróque in flore juventæ
Nullos passa toros, & virginitatis in ipso
Flore, suum peperit miranda puerpera Jesum.
Quem, quia tot celebres egit super hoste triumphos,
Nec pacem in terras, gladium sed mittere venit,
Vel meritò nostrum poterit quis dicere Martem.

In Festo *Resurrectionis Christi.*

Eurydiec conjux Orphei (sic fabula narrat)
Lethiferum diro vulnus ab angue tulit.
Orpheus ut sponsam eriperet de faucibus Orci,
Fertur ad infernas protinus isse domos.
Mortifero pariter conjux Ecclesia Christi
Serpentis morsu saucia facta fuit.
Christus ad inferni descendit limina regni,
Liberet ut sponsam scilicet indè suam.
Dæmone jam victo, victâ Styge, morte subactâ,
Post triduum reducem séque suámque dedit.

Aliud.

Curtius insiluit foveam, pestémque furentem
Sedavit, nequiit sed Curtius indè reverti.
Túque etiam Veneris multùm dilecta propago,
Ænea, poteras mediis elapsus Achivis
Tartareos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Infernorum, Stygiique palatia Ditis.
Nec tamen Anchisésve pater, conjúxve Creüsa
Vindice te demum superas evasit ad auras.
Scire erat in votis, quid ferret serior ætas,
Atque futurarum casus cognoscere rerum,
Venturas hominum sortes, arcanáque fata
Ipse evasisti, nil movit cura tuorum,
Nec si movisset, poteras educere tecum.
Quid memorem plures? petiit quoq; Tartara Theseus,
Necnon Threïcius vates, Rhodopéius Orpheus.
At neque Pirithoo dirupit vincula Theseus,
Nec miser eripuit sese pallentibus umbris,
Quin Diti captivus erat, dum vindice dextrâ
Suppetias illi tulerit Tirynthius Heros.
Néve suam Eurydicen reparavit Thracius Orpheus,
Carmine flexanimo quamvis à Dite redemptam;

Namque

Namque avido amplexu, nimióque ardore videndi
Veſtibulum ante ipſum, primísque in faucibus Orci
Perdidit infelix nuper quam repperit umbram.
At noſter ſolus Stygios impunè receſſus
Contigit Alcides, ſolus compage ſolutâ
Strenuus inſolitos egit de morte triumphos,
Inflixit Diti plagas, & terruit umbras,
Pallentes queis tunc pallor novus obtigit, umbras:
Terruit ille umbras, fundamináque ima Barathri
Rupit, & umbroſum nutu tremefecit Avernum.
Cerberon indè novis attritum colla catenis,
Æratásque Erebi portas compeſcuit atri:
Compede tum tandem diruptâ, ſéq; ſuúmque
Theſea reſtituit terris Deus Hercule major,
Theſeus at Chriſto fuerit quicunque fidelis.

Aliud.

TRina tropæa dabant Chriſto Mors, Tartara, Dæmon
(Tertius invidiam néve triumphus habet.)
Non illum rigidis tumuli ſub carcere vinc'lis
Captivum tenuit Mors, quia *Vita* fuit.
Non illi tenebrarum error, Stygiæque paludis
Cœcum iter obſtabat, quòd fuit ipſe *Via*.
Non illi Satanas, author falsíque dolique,
Offecit, *Verum* quippe quòd ipſe fuit.

Aliud.

PAlma fuit Chriſtus, quò plùs depreſſus in urnam,
Tantò plùs rutilans extulit ille caput.
Palma triumphantes deſignat: nempe reſurgens
Exitium ſuper, & Tartara victor ovat.
Hinc etiam ſacros ſequitur pax alma triumphos,
Nobilis & Palmę mitis Oliva comes.
Morte redux victâ, *Pax vobis*, dixit Iëſus,
Pacis erat, nactus tanta tropæa, memor.

Ergò & Olivarum montem petere antè ſolebat:
Doctori cathedram pacis Oliva dedit.
Morte triumphator, pacis, cùm viveret, Autor;
Palma reviviſcens, vivus Oliva fuit.

Aliud.

ARmari baculo Cynicus poſt fata volebat,
Corvis & canibus nè miſer eſca foret.
Mortuus ipſe ſuis fieret nè præda miniſtris,
Præſidium Chriſto firmius ecce datur.
Conſcia mens hominum! nam ſi Deus eſſet Iëſus,
Membra quid affigunt non moritura cruci?
Sin homo, quid cuſtode opus eſt? quid marmore duro?
Haud ullus tumuli vincula rupit homo.
Scilicet abſtineant fures à corpore, faxint
Armati vigiles, impoſitúsque lapis.
At quis cuſtodes tandem cuſtodiet ipſos,
Nè pavidi fugiant? Angelus ecce venit.
Cuſtodes fallit perrupto carcere Chriſtus;
Quid tum Pontifices? quid Phariſæus agit?
Venales vigilum conducunt munere linguas,
In vulgum ambiguos ſpargere nempe ſonos:
Militibus ſomno media ſub nocte ſepultis,
Diſcipuli Dominum ſurripuere ſuum.
Hæc igitur verpos etiam nunc fabula fallit:
Credula gens, nugas nata fovere ſuas!
Ergóne cui fures ſocios in morte dederunt,
Poſt mortem prædam furibus eſſe volunt?
At quàm pellucet mendax hic rumor, & inſtar
Soricis indicio proditur ipſe ſuo!
Dicite, Pontifices, veſtrum hîc quid proficit aurum,
Aut quis corrupti militis uſus erit?
Dicite dum ſacro ſpoliatum eſt hoſpite marmor,
Cuſtodum intereà dormieritne cohors?
Si minùs, obſtiterant nudis armata caterva:
Sin ita, ſurreptum quî ſcierint Dominum?

Anne

Annè expilatum nôrunt per ſomnia buſtum ?
O homines mirâ calliditate vafros !

In Feſto S. *Marci* Evangeliſtæ.

Marce, Antonino melior, meliórque *Catone*,
Nec *Bruto* Orator, nec *Cicerone* minor:
Qui ſacro eloquii perfundis nectare terras,
Et cogis ſuavi ſubdere colla jugo:
Macte, Evangelicæ pars non obſcura quadrigæ,
Quâ cuncta in mundi climata vecta Salus.
Scilicet hic Chriſti currus toto orbe triumphat,
Quatuor & penetrant Scripta quaterna plagas.

Aliud.

Accumbit lateri torvus Leo, néve nocivus,
Nec timet hunc Chriſti de grege Marcus ovis.
Sic Maro, *Nec magnos metuent armenta leones*,
Cùm *nova progenies* cœlitùs orta venit.

In Feſto SS. *Philippi* & *Jacobi* Apoſtolorum.

Quàm fauſtum læto ſedem cepiſtis in anno,
Cùm Maius viridi gramine pingit humum !
O quàm jucundo florebant ſecula vere,
Secula Apoſtolicâ tam bene culta manu !
Cùm tu plantâſti Jacobe, Philippe rigâſti,
Quàm ver fœcundum, quàm bona meſſis erat !

Aliud.

Ergò laborâſti fruſtrà, Proverbia dicunt,
Scilicet Æthiopem, Sancte Philippe, lavas.

Verùm

Verùm tu labes animi, non corporis aufers;
Néve cutem curas, mens modò pura fiet.
Cor Electorum modò conſcribatur in album,
Æthiopis corpus nigrius eſto pice.

In Feſto *Aſcenſionis Chriſti.*

ANgelus in cœlos Chriſtum comitatur euntem:
Sic abiit, quali venerat ille modo.
Interea Petrum tenet inſatiabilis ardor
Spectandi, & viſo lumina paſcit hero.
Perſtat, & intentis Dominum rimatur ocellis;
Terrifico ſed mox Angelus ore tonat:
Diſcipulum increpitans, quaſi cœlo inviderit ipſum
E terris reducem ſcandere ad aſtra Deum.

In Feſto *Pentecoſtes.*

SPiritus ignitæ veniens ſub imagine linguæ
(Talis enim zelo congrua lingua fuit)
Suggerit omnigenas diverſo idiomate voces:
Relliquias Babel conglomerâſſe putes.
Hinc meritò aſtantes ſubitus ſtupor occupat omnes,
Dum capiunt miris diſſona verba modis.
Dumque vident Arabas poſitâ feritate, Scythásque,
Et, qui non ſerò jam ſapuêre, Phrygas.
Et dum Cappadocem cernunt (miracula narro)
Dextera cui nullis aſſuefacta dolis:
Quódque magis mirum, recitantem oracula Cretem,
Materiem ſolii, dia Sibylla, tui.

Aliud.

PEctus Apoſtolicum percellit Spiritus; ergò
Ictus Piſcator jam ſapuiſſe poteſt:

Hinc

Hinc variis uti linguis, *hinc ſpargere voces*
In vulgum ambiguas, atque ſtupenda loqui.
Mirantur populi quid dia poemata narrent;
Non ſacer, at viſus Bacchicus iſte furor.
Quid blaterant iſti? (dicunt) quidve ebria turba
Ventoſos jactant, irrita verba, ſonos?
Quàm bene conjiciunt! Vapor inflammaverat omnes,
Plenus enim ſacro flamine Flamen erat.
Garrula quin ultrò ebrietas arcana recludit;
Hi quoque pandebant myſtica ſacra Dei:
Adde quòd (ut perhibent) Bacchus fuit ortus in igni,
Symbolon & ſancti Pneumatis ignis erat.
Denique bis genitum veteres dixêre Lyæum,
Sic inſpiratus quiſque renatus erat.

Aliud.

INgruit horriſono ſtridens cum murmure ventus,
Et totam replet, quâ coïêre domum.
Sat jam plena domus; ſed nè *Penetratio* detur,
Clauſum in Apoſtolico pectore Pneuma latet.
Concepêre ſacrum mox Enthea turba furorem,
Exiliitque premi neſcius ore vigor.

Aliud.

SPiritum Apoſtolicæ collatum munere dextræ
Dum vidit magicâ notus in arte *Simon*:
Jam divina auro venalia dona putavit
Improbus, & nummos obtulit indè ſuos.
Annè quòd *impoſitis* fierent miracula dextris,
Ergo *impoſturam* credidit eſſe magus?
Quin *nummi tecum pereant*, Impoſtor; imago
Cæſaris haud prodeſt hîc, ſed imago Dei.
Hæc longè humanas ſuperant myſteria fraudes,
Non penes eſt magicam Spiritus iſte manum.
Si ſapis ergò, *Simon*, *Romam* pete, Spiritus illic
Cæſaris effigie vilior eſſe ſolet.

Aliud.

Aliud.

EXhibet in teneris infans Eccleſia cunis
Triſte ſeneſcentis ſymbolon ipſa ſui.
Scilicet ille gravis vehementi flamine ventus,
Quíque replet totam, quà coïêre, domum,
Naufragii fluctus, ærumnarúmque procellas,
Et tempeſtates indicat innumeras.
Ignis, quo radiant linguæ, tormenta piorum
Ignea deſignat, martyriiq; rogos.
Denique diviſæ bifido diſcrimine linguæ
Hæreſin, & ſectas, ſchiſmaticós que notant.

In Feſto S. *Trinitatis.*

Iupiter, & *Pluto*, & *Neptunus*, ſomnia vatum,
Regna tenent fratres tres tria, quiſque ſuum.
Iupiter in cœlis, *Neptunus* regnat in undis,
Dis Erebi ſedes, tertia ſceptra, capit.
Ethnica ſi ſacris, magnis componere parva
Si liceat quadrant ſancta, profana Trias.
Eſt Pater in cœlis, devicit Tartara Chriſtus,
Ergò in quem vicit, jus habet ille locum.
Et non immeritò dici dominarier undis,
Quo baptizamur, Spiritus ipſe poteſt.
Indiviſa tamen noſtra eſt; ea diſſita, quantum
A terris cœlum diſtat, & Orcus aquis.

In Feſto S. *Ioannis Baptiſtæ.*

ANte tuos, Baptiſta, ſenex obmutuit ortus:
Quid mirum? nondum Vox quia nata fuit.

Aliud.

Aliud.

FEsta agit Herodes (procul,ô procul eſte,pudici !)
Feſta Thyeſteas appoſitura dapes.
Scilicet in patina virgo truculenta Joannis
Affert en ſacrum ſæua miniſtra caput.
Quid majus Progne ſcelus, aut conviva deorum
Tantalus admiſit, Tantalidûmve genus ?
Vultus, Phœbe, tuos cur non pudibunde recondis ?
Scilicet Herodis cœna, Thyeſtis erat.

Aliud.

COnde, Tyranne, tuos enſes; ſpem paſcis inanem,
Decollaſſe potes, non necuiſſe virum.
Eſto tamen, perimas; & adhuc ſpem paſcis inanem,
Nam necuiſſe potes, non nocuiſſe viro.
Néve potes necuiſſe, caput de corpore tollens,
Ille caput totus, *Vox* quia totus erat.

Aliud.

VOx Baptiſta fuit, Vox mellea, Neſtoris inſtar,
Quoque edit dulces, edidit ore favos.
At validus ſub melle latebat aculeus illo,
Cujus & Herodes cuſpide punctus erat.

Aliud.

FActus erat Chriſti, truncante Herode, Joannes
Prodromus in vita, prodromus inque nece.

In Feſto S. *Petri* Apoſtoli.

OQuanto maduit lacrymarum flumine Petrus,
Piſcator medio viſus ineſſe ſalo !
Marmoream in Nioben liquefactum credite Petrum,
Triſtia dùm nimiis fletibus ora rigat.

Quid

Quid ni? petra fuit, fuit atque columna; columnam
Marmoream credas, marmoreámque petram:
Hinc quoque marmoreis ornantur templa columnis,
Nempe *Petrus* templi petra, columna fuit.
Hinc quoq; quòd lacrymis etiam nunc marmora manâ
Hæc monumenta tui, *Petre*, doloris erunt.

Aliud.

PEtrus Apoſtolicæ petra indubitata coronæ
Fluctuat in media, ſuberis inſtar, aquâ.
Mira cano; periiſſet aquis, ni *petra* fuiſſet;
Subſidiſſet aquis, ſi fluitâſſet aquis
Si levis & dubius vitæ, incertúsque fuiſſet.
Deſcenſum levitas en, *Stagirita*, facit.
Sed tetragonus erat noſter *Petrus*, & ſibi conſtans,
Chriſtus enim *Petræ petra*, columna fuit.

Aliud.

ERgò mare eſt mundus, piſcator Apoſtolus omnis,
Sunt homines piſces, retia verba Dei.
Non eſt piſcator *Romanus* Epiſcopus, etſi
Se ſucceſſorem jactitet eſſe *Petri*.
Piſcator nunquam piſces à retibus arcet,
At populo verbum ſubtrahit ille Dei.
Prædam etiam captans, argenteis utitur hamis;
† Non talis *Petro* ſcilicet hamus erat.

† *Act.* 3. 6.

In Feſto S. *Jacobi* Apoſtoli.

HErodes, Sanctum qui ſuſtulit enſe *Jacobum*,
Paulò pòſt vivus vermibus eſca fuit.
It clamor cœlo, Sanctorum ſanguine fuſo,
Et necis ultorem cogit ad arma Deum.
Nec mirum, hic ſanguis ſi ſic clamaverit altùm;
Scilicet hic clamor vox *Boanergis* erat.

In Festo S. *Bartholomæi* Apostoli.

PElle suâ exutus, subjecit colla securi,
Deinde cruci affixus *Bartholomæus* erat.
Sic cujus triplici pendebat stamine fatum,
Quis triplici hunc fato non cecidisse putet?
Sic trinam triplici placavit morte Sororem,
Cœlestem Triadem Martyriique Trias.

Aliud.

N*undinum & hinc epulum*, pueri quæ junximus olim,
Ambo ornant festum, *Bartholomæe*, tuum.
Nam tu *mercator*, simul & *convivæ* Tonantis:
Ipse tibi *merces* Christus, & ipse *dapes*.

In Festo S. *Matthæi* Apostoli.

QUi vectigales solitus corradere nummos,
Exigere & toto larga tributa foro;
Quantùm mutatus, Christi fit voce columba
Tam subitò mitis, qui modò milvus erat.
Scilicet is sacrâ signatur imagine Christi,
Cui nuper cordi *Cæsariana* fuit.
Cæsaris argentum, Christi *Matthæus* imago;
Id meritò Regi redditur, iste Deo.
Redditur iste Deo, misso jam *Cæsare*; nuper
Nummos, nunc numen non patienter amat.
Cui modò Chirographum, & nummaria tessera curæ,
Pagina nunc illum non nisi sacra juvat.
Perpendítque pios, divina volumina, libros,
Qui solitus libras pendere nuper erat.
Quin & servat adhuc veteris vestigia fraudis;
Consuetásque artes dedidicisse negat.
Scilicet electum, regale numisma, popellum
In fiscum Domini colligit ille sui.

Atque

Atque Evangelii fretus diplomate, pendit
Credentes animas, grata tributa, Deo.

In Festo S. *Michaelis* Archangeli.

ANgele, Seraphicæ dux, & coryphæ catervæ,
Angelici princeps indubitate chori;
Miramur quòd tam divinos præstet honores
Roma tibi, fundens supplice voce preces?
Sub te devictum sentit cecidisse Draconem,
Quem sibi jamdudum vendicat illa patrem.
Namque is adoptavit *Romam* sibi, scilicet hæres
Bellua septemplex facta Draconis erat.
Quæ tremit, & pavidâ te conscia voce precatur;
Nè luat ipsa patrem, non bona nata, malum.

Aliud.

Αγιολατρείαν *Michael* vel nomine damnat,
(Re magis) æterno * par quia nemo Deo.
At *Romæ*, dum divinos sortitur honores,
Quis sicut Deus est? Angelus ecce Dei.

* *Quis sicut Deus*? Ita *Michael* sonat Hebraice.

In Festo S. *Lucæ* Evangelistæ.

AN Pictor fuerit *Lucas*, *Petre*, nescio: certè
Ad vivum expressit te, sociósque tuos.
At medicâ egregium se ostendit in arte magistrum,
Quisquis Apostolici scripserit *Acta* chori.
Historici reparant etiam post funera vitam,
Dignos laude viros charta perire vetat.
Præstitit hoc Lucas, quod non Podalirius ullus,
Nullus Apollineâ præstitit arte potens.

Quæ

Quæ prodeſt vivis, eadem poſt fata quieſcit;
Amittit vires tum medicina ſuas,
At vos æternùm ſcriptis vivetis in iſtis,
O Piſcatorum nobilitata cohors:
Hiſtoriam veſtram ſcripſit divinus Apollo,
Mors in vos poterit juris habere nihil.

Aliud.

Cur hic è geminis ſolus latronibus unum
Inter cœlicolas narrat habere locum?
In promptu cauſa eſt; medicam qui calluit artem,
Scilicet hic inter quatuor unus erat.
At dum ſpirat homo, medicus ſperabit; & ægrum
Ah! piget extremis deſeruiſſe malis.
Sic quoque ſemianimi huic hodiernus Apollo ſalubrem
Latroni necdum ſerò paravit opem:
Cúmque illum primis hærentem faucibus Orci
Jam propè mors tenebris mergeret atra ſuis;
Provida mens *Lucæ* (quàm felix nomen & omen!)
Luce vel hâc fecit, vel meliore frui.

In Feſto SS. *Simonis* & *Judæ* Apoſtolorum.

Omnibus ex aliis placet urbs *Philadelphia* Chriſto;
Feſtáque fraternus cuncta coronat amor.
Tertium Apoſtolico en par fratrum fulget in *albo*,
Poſt Jonæ geminos, &, Zebedæe, tuos.
Scilicet & fratres, & Chriſto ſanguine juncti,
Simon, & Judas, atque Jacobus erant.
Adſciſcis comitem tu, Sancte Philippe, Jacobum,
Conjungit reliquos lux hodierna duos,
Nec natu tantùm, cœleſti at ſemine fratres,
Religione, fide, fœdere, amore pares.

Quos irrupta tenet sacro sic copula nexu,
Vincula fraternis hos propiora ligant.

Aliud.

QUi duo discipuli festo junguntur in uno,
Simon & Judas, quàm bene conveniunt!
Simon *obsequium, laudem* designat Iüdas,
Maxima nam *laus* est *morigerare* Deo.
Sed Judas erat alter, & alter nomine Simon,
Primus hic, in sacro pessimus ille choro.
Utque ille infandi sceleris reus Iscariota,
Judas & Dominum vendidit ipse suum:
Sic alius Simon, Magus atque impostor avarus
Venalem nummis credidit esse Deum.
Quid tituli sine re? quid splendida nomina prosunt,
Sint nisi personis scilicet apta suis?

Aliud.

Ἦεν ὁμῶς ἕτερός τε Σίμων, ἕτερός τε Ἰούδας,
Τοῖς δυσὶν οἱ δὲ δύω ἀνομοιότατοι ἐγένοντο.
Τῶν γὰρ ὁ μὲν μάγος ἔσκεν, ὁ δὲ προδότης ἀλιτηρὸς,
Ἄμφω κερδαλέοι γε, φιλάργυροι ἀνέρες ἄμφω,
Χριστὸν ἐπεὶ πώλησεν ἀπάσταλος Ἰσκαριώτης
Ἀργυρίου, τοῦ καὶ μαγος ἤθελε πνεῦμα πρίασθαι
Σχέτλιος· Οὐχ οὕτως ὧν σύμερόν ἐστιν ἑορτὴ,
Πάντα δὲ πώλησαν σοφοὶ ἔμποροι, ὄφρα λάχωσι
Χριστοῦ, ὅς σφισι κέρδος ἔην, πλοῦτός τε καὶ ὄλβος.
Ὡς οἱ μὲν ῥ' ἐγέννονθ' οἷοι ἀγαθοὶ Διομήδεις,
Κεῖνοι δὲ Γλαῦκοι, τοῖσι φρένας ἐξέλετο Ζεὺς,
Ἀργυρίου Χριστὸν, χλαικοῦ οἱ χρυσὸν ἄμειβον.

In Festo *Omnium Sanctorum.*

SIccinè fronte suâ signantur stigmate Sancti?
Perfrictæ frontis præmia fortè putes.

Immò

Immò cave credas nigro carbone notatos;
Talia furciferûm ſtigmata inuſta genis.
Cretâ ſignantur Sancti, niveóque lapillo,
Scilicet hæc canâ præmia digna fide.
Purpureóve nitent ſucco, minióque rubenti,
Sic teneras ſignat Paſtor amicus oves.
Hæc ergò numeranda dies meliore lapillo,
Conveniet Sanctis ſic ſua feſta dies.

Aliud.

QUiſquis in hac vita Sanctorum inſcribitur *albo*,
Huic inter Superos veſtis & *alba* datur.
Si Sancti in cœlis niveo velantur amictu,
Indutúsque *albis* † Angelus ipſe venit;
Dic mihi, dic, quæſo, mi frater Epiſcopomaſtix,
Cur adeò in ſacris diſplicet iſte color?

† *Matth.* 28. 3.

In Feſto S. *Andreæ* Apoſtoli.

SEdulus æquoreas dum retia ſpargit in undas
Andreas, laqueos piſciculíſque ſtruit,
En ſubitò apparet propè ſtans in littore Chriſtus:
Sic effert placidum rex maris ipſe caput.
Petrum ad ſe, fratrémque *vocat, dehinc talia fatur*,
Innectent poſthàc retia veſtra viros.
Protinus obſequitur Chriſto par nobile fratrum,
Et piſcatores indé fuêre virûm.
Sat validi officio; nam primus *Petra* pernnis,
Alter & ex ipſo nomine *fortis* erat.
Piſcis vi parvâ capitur, ſed robore magno,
Immò *Andreâ* opus eſt, ut capiatur homo.

Aliud.

PEtrus & *Andreas*, cum fratre *Joanne*, *Jacobus*,
Primitiæ Domini, deliciæque ſui.

Fratrum par geminum, geminum par Discipulorum,
Primi adeò Christum qui meruêre sequi.
Fratrum par geminum: quàm faustum & amabile signũ
Zodiaco hoc primum fulsit Apostolico!
Signum erat hoc, Christo nullos parere vocanti
Quos non fraterno fœdere iunxit amor.
Sed Piscatorum patria hæc quoque bina fuêre,
Squamigero fraudes nectere sueta gregi.
Sol Evangelii duodena hæc regna pererrans,
Anne fuit primùm in Piscibus, an Geminis?

In Festo S. *Thomæ* Apostoli.

ABfuerat *Thomas* reliquis cùm virbius olim
Discipulis Christus comparuit omnibus unâ:
Hinc incredulitas, hinc vulnera cura videndi,
Hinc & tangendi lateris vesana cupido.
Mox videt, & viso credit, noxámque fatetur:
Sit semel ô peccâsse satis. Bene providus ergò
Jam cavet, in lapidem nè bis impingat eundem
Quassa fides; etenim pocthac nè longiùs absit,
Proximus ante suum sortitur festa Magistrum.

Aliud.

† QUando vides, credis? testis, mihi crede, *fidelis*
Est *oculus*, sed non est *oculata fides*:
Non radios, axémve capit, non corpora palpat;
Non habet illa oculos, non habet illa manus.
Credere qui non visa potest, & nescia tangi,
Crede mihi, veram, *Thoma*, habet ille fidem.

† *Joan.* 20. 29.

Aliud.

CUm Domino in cœlis *Didymus* regnare meretur,
Cum Domino, in terris qui, *moriamur*, ait.

Joan. 11. 16.

In

In Festo *Nativitatis Christi.*

JUpiter humanæ visus sub imagine formæ
Dicitur æthereas deseruisse domos.
Déque jugo (ut perhibent) summi delapsus Olympi,
Admeti teneros pavit Apollo greges.
Barbara vaniloqui sileant miracula vates,
Et transmutatos numina magna Deos.
Descendisse Deos ultrà nè jactitet ætas,
Lascivum terras nec petiisse Jovem.
Devenit summo nostrum quoque Numen Olympo,
Seu Phœbum mavis dicere, sive Jovem.
Se dedit & *Vitæ lucem, Patrémque juvantem,*
Nominis & meritò jus utriusque tulit.
Ast illum non traxit Amor, qui sæpe Tonantem
Devolvit cœlo, sed quoque traxit amor.
Ignea non illum tetigérunt tela, nisi illa,
Quæ infixit nobis, ignea tela, Satan.
Vulnera sanavit Deus hic, & spicula fregit,
Hinc meliùs dici forsan Apollo queat.
Quadrat & hoc Jesu; quin & Jove natus Apollo,
Filius & nostri noster Apollo Jovis.
Hic hodiernus Apollo fuit, qui cessit Olympo
Pastor, ut errantes cogeret almus oves.
Hinc inter pecudes etiam cunabula fixit;
Pastori an potuit gratior esse locus?
Nec solùm in stabulis; sed & in præsepibus ipsis;
Scilicet ipse sui pastor, & esca gregis.
Pastores alii pecori sua vellera nudant,
Et mactant miseras, queis saturentur, oves.
Ille suam chlamydem teneris superinduit agnis,
Séque suo præbet pabula læta gregi.

In Festo S. *Stephani* Protomartyris.

DEucalionæi jactûs veriſſima proles
Quósque genus durum pagina Sacra vocat.
Immeritum ſaxi *Stephanum* dum ſternere certant
Judæi, ſtirpis dant documenta ſuæ.
Quàm felix utcunque malo fuit omen in illo!
Humani generis ſemina ſaxa ferunt:
Sic lapidum jactu nata eſt Eccleſia, quippe
Cui *Stephani* ſanguis fertile ſemen erat.
Pro pœna donum *Stephanus*, pro morte coronam
Rettulit; uſque adeò ποιναὶ ἄποινα καλῶν.
Deucalionæo ritu Judaica ſaxa
Traxerunt formas jacta ſubinde novas.
In gemmas abiere, refulgentésque Smaragdos:
Quiſque lapis miſſus jam pretioſus erat.
Compacti lapides pulchram fecêre coronam,
Nec *Stephano* vanum nominis omen erat;
Qui ſimulac variis fuit obſitus undique gemmis,
Splenduit Angelico quantus in ore nitor!
Hinc quoque Martyrium meruit diadema vocari,
Martyrium *Stephani*, Martyrii *Stephanus*.

In Festo S. *Joannis* Apoſtoli.

CHriſte, tuo lateri dilectus Apoſtolus hæret,
Et Natalitiis proxima feſta tenet.
Ergò geſtit adhuc tuus hic conviva Joannes
In gremio Domini diſcubuiſſe ſui.

In Festo SS. *Innocentium*.

SÆvit in infantes Judaicus ille Tyrannus,
Inſontes animas præcipitátque neci.

Neſcio

Neſcio num nati fuerint priùs, anne renati,
Martyrium in cunis qui ſubiere ſuis.
Herodes facto pius & ſceleratus eodem,
Qui gladio jugulat, martyrióque beat.

Aliud.

PUrpureis ut mixta roſis cùm lilia certant,
Improba vel candens purpura tingit ebur:
Sic niveas animas nativo ſanguine tinxit
Herodes, Chriſtum ſe jugulaſſe putans.
Quantillum erravit! mactatus ſcilicet infans
Quàm ſimilis Domini Martyr imago ſui!
[a] Lilium is & Roſa nempe fuit, [b] candénsq; rubénsque,
In vita niveus, purpureúsque nece.

[a] *Cant.* 2. 1. [b] *Cant.* 5. 10.

In Calendas *Januar.* unà cum Feſto *Circumciſionis* denuo recurrentes.

SAlve iterum, tu *Jane* biceps, bone claviger orbis,
Dux anni, tecum Dodecamenon agens.
Jane pater, cœli atque horarum, magne Patulci,
Pande fores, templi at Cluſius eſto tui.
Plurima ſic feſtas tibi ditet ſtrena calendas,
Sacra Dei inprimis, & recutita, caro.
Tu ſimul exeris ora, ſenex dat terga *December*,
Ferre nequit facies ſcilicet ille tuas.
Te rerum renovante vices, redit annus in orbem,
Anguis & in gyros vertitur ecce ſuos.
Cúmque anno redit & Muſis labor actus in orbem,
Carminum & hinc prodit Circulus uſque novus.
Circulus at quamvis fuerit ſine fine figura,
Sit tamen hoc noſtri nunc Epigramma libri

FINIS.

¶ Ad Lectorem.

Quæ ſequuntur Carmina non quidem in anniverſariis Eccleſiæ Feſtis compoſita, ſed aliis quibuſdam publicis Regni Feſtis, & Solennitatibus dicata & inſcripta ſunt. Ea tamen & hîc Appendicis loco attexere viſum eſt. Tu, Humaniſsime Lector, pro candore tuo æqui bonique conſule.

In execrandam Papiſtarum Conjurationem, Nov. 5.

Qui priùs infeſtâ venerunt *classe per undas,* *88
Nunc quoq; per flammas in mala noſtra ruunt.
Grex ergò *Ignati* ſit aquâ interdictus, & *igni,*
Organa cui tanti ſunt elementa mali.

In Proditionis Proditorem, Dom. Montaquilium.

Hoc pandiſſe nefas *Aquilæ* cognomen habentem
Heröem, noſtri commeminere patres.
Nempe *Jovis* ſummi, qui cuncta arcana recludit,
Aut hic, aut nullus nuntius ales erat.

In diem Inaugurationis JACOBI,
Regis Pacifici.

Dant ten bræ *pacem,* Sphingis ſi ænigma videtur,
Id mihi ſi ſolvas, *Oedipus* alter eris.
Tum mihi neſcio quis ſubitò ſic ore profatus,
Jacobum mittit *Scotia* terra ſuum.

Salve

Salve festa dies, certâ quâ compede vinctus
Mars erat, & gemini janua clausa Dei.
Rex in *Pace* viget, *Pax* ipsa in Rege triumphat,
Scilicet in *tenebris* plus ea gemma nitet.
Pace tuâ dicam, Rex optime, gente *Britannâ*
Non est in toto tutior orbe locus.

In diem Inaugurationis Regis CAROLI I, *in ferias Resurrectionis Christi incidentem.*

Carolus & *Christus* nullo discrimine surgunt,
In cœlum *Christus*, *Carolus* in solium.
Ambo etenim Reges, prognati Regibus ambo,
Hæredes ambo regna paterna petunt.

Κ'Αρρολος ὁ Χειστὸς, ϗ Χειστὸς ὁ Καρρολός ἐστι,
Τῷ ϗ ἐν ἀμφοτέροις ἦμαρ ἀναστάσιμον.
Καρρολος ἐν Βρεττανοῖς βασιλεὺς μὲν Χειστὸς ἀνάσσει,
Χειστος δ' αὖ ΛΑΟΥ̃ ἢ ΚΑΡΑ ἠὲ ΧΑΡΑ'.

Ad Serenissimum Regem CAROLUM I, *de adventu suo ad* Cantabrigiam, *Mart.* 3, & 5, 1627, *Gratulatorium.*

Carole pacifici proles augusta *Jacobi*,
Inspirata canit numine Musa tuo,
Visere tu nostras etiam dignaris *Athenas*,
Utque Pater, signum pacis amare togam.
Sic positâ interdum mollitur casside *Mavors*,
Nec renuit Fastis, *Naso*, favere tuis.
Interdum & positâ miteſcit Gorgone *Pallas*,
Atque artes eadem tractat, & arma colit.
Gens pariter *Romana* potens utriusque *Minervæ*,
Et *Martis* soboles, génsque *togata* fuit.
Sic tu, *Car'le* Pater, quanquam *Gradivus* in armis,
Mercurius Musis, *Phœbus* & alter ades.

Ad

Ad Serenissimum Regem CAROLUM I, *& Scotiæ*
Reducem Pacificum, 1641.
Ὠιδὴ βριαμβευτική.

Qualis, serenum cùm caput exerit,
Compescit undas arbiter Adriæ,
Et fronte solâ (nec tridente)
Sternit aquas, rabiémq; ponti:
Aut qualis orbem vertice temperat,
Nutúque solo (nève tonitruo)
Placat minas irásque mundi
Æthereæ dominator aulæ:
Sic tu ferocis, Carole, seculi
Mulces querelam, & jurgia gentium,
Vultúque solo bella sedas,
Pacifici soboles Jacobi.
En sudus aer! reddita pax maris;
Pressêre venti murmura, murmura
Fluctus, simul conspexerint te
Littoris Halcyonem Britanni.
Vincis potentes, sed sine sanguine:
Sternis gigantes, sed sine fulmine;
Siccóque lætaris triumpho,
Impatiens patrii cruoris.
O quàm peritus pangere fœdera,
Sopire lites nobilis artifex!
Quis dissitas unire mentes
Doctior, aut sociare corda!
Quem si tulissent pristina secula
Pacis sequestrum, non sonitus tubæ,
Non vis ducum, non ipse Mavors,
Jane, tuam reserâsset ædem.
Et Troja staret, nec Priamus Parin
Flammâ luisset, ruptáque fœdera,
Si talis Europæ potenti
Arbiter, atque Asiæ obtigisset.

Vitâsset

Vitâſſet Alpes perfidus Hannibal,
Parſiſſet Afris Scipio fervidus:
Nec Græciæ terror, fuiſſet
Ludibrium maris, aut flagellum:
Nec perforâſſent viſcera patriæ
Par viperarum, cum ſocero gener:
Nec fratribus Thebæ dediſſent
Vulnera, conſulibúsve Cannæ.
Quantum redemptum ſanguinis Itali,
Quantum Pelaſgi, ſi modò Tullius,
Aut ipſe Neſtor tam diſertus,
Tam docilis poſuiſſe lites!
Haud noſſet unquam Roma, nec Anglia
Civile bellum, maxime Carole;
Tu nempe, ſolus calluiſſes
Conciliare Duces, Roſâsque.
O pacis author ſtrenue, cordium
Gluten, ſed audi, quantus honos tulit
Quantum negotî! nonnè cernis
Undique conglomerare gentes
Tuum ad Tribunal? Roma fremat licet,
Siſtúntque ſe ſub judice Carolo,
Omnésque lites terminandas
Cæſaris arbitrio Britanni.
Quin macte, Princeps, officio novo;
Si regna rupto fœdere diſſident,
Compone rurſum, túque ſolus
Catholicus Moderator eſto.
At ſerus inter ſidera fulgeas,
Currúque nondum ſcande polum tuo;
Sat pacis eſt inter beatos,
Harmoniæ ſatis inter aſtra:
Nos ſi relinquas, fervere litibus
Mox cuncta cernes, in chaos illico
Miſcemur, armis totus orbis
Perſtrepet, indomitóque Marte.

In glorioſiſsimum Monarcham & Martyrem CAROLUM, *ejus nominis primum, Magnæ* Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ *Regem, Fidei (vitâ & morte) Defenſorem.*

CAROLE MAGNE *vige: tu nunc eris alter ab illo,*
GALLIA *quē* CAROLI *decoravit nomine* MAGNI.
Ex tripode hęc olim puero mihi fudit *Apollo,* † *Epithal.*
Cùm cecini thalamos, *Carole Magne,* tuos. Caroli *regis, &c.*
Infans Muſa licèt, tamen eſt præſaga futuri; anno
Crede mihi, vates enthea turba ſumus. 1625.
Quis te, *Carle,* neget, merito & cognomine *Magnum,*
Cui necis & vitæ cognita fama tuæ?
Omnia *magna* tibi dederant hominésque Deúsque,
Magnus & à populis undique crevit honos.
Contulit at ſummos tibi turba rebellis honores,
Quo cœlum peteres, cùm tibi pegma dedit.
Nil tibi, quo *major* fieres, dare vita valebat:
Reſtabat tantùm pro pietate mori.
Imperio *Magnus, Major* virtute fuiſti,
Maximus ut fieres, *Carole,* Martyr eras.

In auſpicatiſsimam Dom. Georgii Monachi *è* Scotia *in* Angliam *expeditionem, Sereniſsimi Regis noſtri,* CAROLI II, *gratiâ ſuſceptam.*

ECce Aquilonari *Carolinum* è climate currum
Scandentem cœlos, *Anglia* læta, tuos!
Quàm nos dicta ſenum, vetera & ludibria fallunt!
Omne *bonum* nobis ex *Aquilone* venit.
Emicat ante alios, currûs auriga Bootes,
Georgius, haud falſi nominis omen habens.
Non ſolus; quanquam at *Monachus,* tamen agmine fido
Stipatus, Divûm & numine, victor ovat.

Adde

Adde quòd innumeris (non vincunt corda tyranni)
Cordibus *Anglorum* concomitatus adeſt.
Ergò omnes, quos non afflaverat entheus error,
Attrahit; & nacta eſt *Anglia* tota Ducem.
Quanquam & ſæva ſuos modò *lamberet* urſa catellos,
Spem ſimulant cauſæ gens maleſana ſuæ.
At bis capta fera eſt; fanatica turba *tremiſcit*:
Pax cum Rege redit, cúmque ſalute fides.

Aliud in eundem GEORGIUM, *fortiſſimum juxtà & fortunatiſſimum* Angliæ, Scotiæ, *& Hiberniæ Archiſtrategum.*

VIrgo expôſta neci fuit *Anglia*; cauda Senatûs
Eclipſin minitans, cauda Draconis erat.
Georgius alter adeſt, Democraticúmque Draconem
Rumpit, & incolumis Regia Virgo manet.
Macte tuâ virtute eſto, ter maxime *Georgi*,
Dulce decus patriæ, præſidiúmque tuæ.
Te tutelarem meritò colit *Anglia* Sanctum,
Patronum & celebrat gens rediviva ſuum.

Inexoptatiſſimum Regis noſtri CAROLI II, *Sereniſſimi, Potentiſſimíque* Britanniarum *Monarchæ, in* Angliam *reditum,* *Carmen* Θεαμβευτικόν.

SCilicet aſſiduâ victus prece ceſſit Olympus:
Sic viſum Superis; nec noſtræ Numina gentis
Invidiam potuêre pati: Quot ſtruximus aras
Angligenæ! & quantis laſſavimus æthera votis,
Carolus ut redeat! Rediit. Quid pergere porrò,
Muſa, paras fruſtrà, & vanas ſuperaddere voces?
Carolus en rediit, rediit Rex *Carolus*: iſtud
Sæpiús ingemina, ſatis eſt, ſunt cætera nugæ;
Quærere plus ultrà, majeſtas læſa vocetur.
At non Muſa tamen docilis dare fræna triumpho,

Nec

Nec ſeruare modum CAROLO ſublata ſecundo,
Parcere nec pedibus, peragit cùm læta choreas
Anglia tota ſuas, & plauſibus omnia complet.
Quin remoræ impatiens ruit, & velut aggere rupto
Fertur ovans æſtu, & pleno cita volvitur alveo,
Neſcia tam anguſto concludere carmina rivo.
Quare age, *Calliope*, quia luxuriare voluptas
Tanta animo, *furere & dulce eſt* tibi Rege *recepto*,
Lætitiæ cauſas aperi, fontésque reclude,
Argumentum ingens, primâque ab origine pande.
Toto nunc Helicone frui, Permeſſide totâ
Fas erit; & lato diffundere gaudia campo.
Incipiat noſtras *Vigornia* clara camœnas,
Quâ malè compoſitas infido fœdere turmas,
Scotigenûmque acies fudit *Cromwellius* audax,
Serò nimis Regem, *Carolináque* caſtra ſequentes.
Sic erat in fatis: nec enim ſat digna *Caledon*
Viſa Deis, plagæ, quam inflixerat ipſa, mederi,
Vel nobis *Carolum*, *Carolo* vel reddere ſceptrum,
Et decus antiquum, aut tantas reparare ruinas.
Nempe alii hic ſervatus honos, & gloria Regis
Reſtituendi ingens; *Monacho* hæc laus debita ſoli.
Poſtquam ergò fugêre acies, *Carolúsque* relictus,
Exutúsque ſuis, heu quantâ indagine cinctus,
Víque rebellantûm! (*Getulum* ut quando leonem
Turba canum cingit, ruit is per tela, per hoſtes)
Attamen evaſit; tantum valet inclyta virtus,
Et Superûm favor, & miranda potentia cœli.
Sic pius *Æneas* media inter funera *Troiæ*
Myrmidonas, *Dolopáſque* truces effugit *Ulyſſei*.
Avia mox uno peragrat comitatus *Achate*,
Et *per opaca locorum* ad fida mapalia tendit. (condit,
Mox ſe (ô quàm *hæc meminiſſe juvat*!) mediâ arbore
Hoſpes *Hamadryadum*, quærítque in fronde latebras.
Quis neget ergò homines truncis & robore natos?
Ecce utero unius jam tota *Britannia* quercûs

Geſtatur

Geſtatur, populósque & gentes parturit arbos,
Quæ Regem fovet, & dias in luminis auras
Enixa eſt, omnésque ſuo cum Rege *Britannos*.
Crediderim plantam hanc *Dodonæ* è ſtirpe creatam,
Unde Pater Divûm tam clara oracula fudit,
Et tam fauſta tulit *Carolo* præſagia, pulchræ
Certa ſpei documenta. I nunc lymphatica turba,
Perfida gens, curámque neges hunc eſſe Deorum,
Regia cui quercus, melioris præſcia fati,
Proſpera ſigna dedit, redituríque omina ſceptri:
Quem medias inter ſtrages, mortésque ſuorum
Tam miris tutata modis clementia Divûm
Reddidit incolumem, ſolióque locavit avito:
Quem poſt mille moras, poſt mille pericula ſalvum
Sors tulit, & rebus ſervârunt aſtra ſecundis,
Reſtituítque ſuis melior fortuna *Britannis*
Virbium, & ex ipſis ereptum faucibus Orci.
Quid memorem fictósq; habitus, crinésq; reſectos,
Femineósque dolos, famulum cùm nacta Monarcham
Diſſimulans falſâ celavit imagine Virgo,
Et dum ſervili Regem velavit amictu,
Fraude piâ *varios mentita* eſt *LANA colores*?
Macta tuo famulo ſis, ô divina Virago;
Felix, quæ tanto poteras comitata miniſtro
Carpere iter, cùm tota *Britannia* ſcilicet uno,
Túque ſimul vehereris equo: quàm grande Deorum
Depoſitum ſervas! hominum quot millia curæ,
Quot fidei commiſſa tuæ! Clariſſima Virgo,
Poſt tria Regna ſedes; equiti hoc tibi contigit uni.
Dum verò egregius divertit nocte Viator,
Sic ſervum ſimulans, vix hoſpes ab hoſpite tutus:
Quàm propè dextra rudis, verubúsq; inſueta regundis
Detraxit larvam Regi, ſcenámque retexit
Vile miniſterium, malè geſtáque cura culinæ!
Singula quid referam, quæ pertulit ardua Princeps,
Exul in orbe ſuo, variíſque erroribus actus,

In

In patria patriam fugens, fugiénsque rebelles?
Donec vi Superûm raptus vel ab ore lupino
(*Anglia* nam, mirum, regio jam facta luporum eſt,
Antè his haud aſſueta feris) evaſit in altum,
Et mare, quanquam immane, ſuis jam mitius *Anglis*
Trajecit profugus, peregrináque littora venit.
Indè per innumeros terræ pelagíque labores,
Póſtque decennales *Britonum*, illo abſente, ruinas,
Et furias populi ſine Rege & Lege relicti,
Huc remeans hominum ſtudiis, & numine Divûm
Vela dedit, noſtris tumuerunt carbaſa votis;
Appulit & *Dubrin*, (pia tura parate, *Britanni*,
Tura parate omnes) patriâque potitus arenâ
Salvus in *Angliacas* rediit Rex *Carolus* oras,
‖ Natalíq; ſuo *Trinobantidos* attigit arces. ‖ *Maii* 29
Quantus Io Pæan, quâ pompâ intraverit urbem,
Qui plauſus, quot ubiq; pyris fulſêre plateæ,
Muſa referre paras? age, dic quot ſidera cœli.
Quis Genium illius, quis Gaudia, Vota diei
Explicet? aut poſſit numeris æquare triumphos?
Quorum autopta fui, (vocésque his auribus hauſi)
Queis, puto, nulla dies ſimiles, vidítque ſecundos.
Salve, feſta dies, niveo ſignanda lapillo,
Æternùm inſcribi noſtris digniſſima faſtis:
Ter ſalve, lux alma, ſerena, ſecunda, ſecundi
Prima iterum *Caroli*; nec tantùm Principis hujus,
Gentis at *Angliacæ*, meritò natalis habenda;
Quæ cum Rege ſuo modò functa, extorris, & exul,
Jam cum Rege ſuo tandem rediviva reſurgit.

In obitum HENRICI *Ducis* Gloceſtriæ, *qui eodem anno quo ipſius Frater Rex* CAROLUS II *in* Angliam *rediit, fatis conceſsit, Epicedium.*

SIc teſſellato fruitur fortuna triumpho,
Et vario rotat orbe vices; modò candida currunt
Tempora,

Tempora, mox atro veniunt ſignanda lapillo.
Nil ſtabile & fixum; ſuccedunt funera feſtis,
Excipiúntque hilares Epicedia mœſta choreas.
O quantos plauſus, & jubila quanta tuliſti,
Magne triumphali rediens cùm *Carole* curru
Captivos duxiſti animos, & corda tuorum!
Quàm ſubitò inverſis plorat nunc *Anglia* fatis,
Indui úrque atras (heu! falſo nomine) veſtes
Albion, & reſonant lugubri compita leſſu!
Carolus, *Henricus*, dolor hinc, par inde voluptas:
In duo diſtrahimur. Concedas, *Carole*, fratri
Tantiſper; liceátque recentem plangere cladem,
Te quanquam ſalvo, chari dum Principis umbræ
Mittimus inferias, tumulo & libamus honores.
O *Henrice*, decus *Britonum*, dulciſſime rerum,
Deliciæ populi, ſec'li ſpes magna futuri,
Terribils dextrâ, formâ peramabilis Heros;
Flos, *Henrice* Ducum, & patriæ virtutis imago,
Flos, *Henrice*, Ducu n, Dux florentísque juventæ:
Flos peramœne virûm, Florû & pulcherrime Princeps,
In te nempe uno, veris formoſa propago,
Lilia mixta roſis, ſimul ore, & ſtemmate certant.
Henrice, ô lumen gentis columénque *Britannæ*,
Grande tuis, gratúmque *Anglis* (tot ſidera teſtor,
Tot Reges, Patruúmque tuum) per ſecula nomen!
O dolor atque decus, Princeps chariſſime, noſtrum,
O dilecte Deo, nondum ſed debite cœlo,
Quò fugis? ah! miſeros & nos, terrásque relinquis?
Vixque ſalutatos, heu! tam citò deſeris *Anglos*?
Oſtendent nobis te *tantùm fata*, *neque ultrà*
Eſſe ſinent, reducem tam nuper, inhoſpita fata?
O nimiùm ſurda ad noſtras Libitina querelas!
O Parcæ inimites, & neſcia carmine flecti
Fatorum ſeries, & ineluctabilis ordo,
Et fixæ aſtrorum leges & dura poteſtas!
Parcite vos Superi, ſi veſtra palatia pulſat

Musa audax, vanóque lacessimus æthera planctu.
Scilicet obruimur; rapit inclementia Lethi
Attonitos, proni ferimur torrente malorum;
Non unis agimur furiis, nec simplice damno
Liquimur in lachrymas, densatur funere funus.
Nec de plebe hominum; *vulgaria fercula temnit*
Mors bona, Regali pascuntur sanguine Manes.
Nos animæ viles (quid adhuc sub luce moramur?)
Carpimur heu sensim, & repetitâ clade perimus.
Vix animam trahit infelix en *Anglia* mater,
Deliciis orbata suis, penitúsque fatiscit
Ægra nimis, tot foeta malis, & pondere luctûs
Pressa gravi; nec ferret onus, nisi *Carolus* esset,
Sitque, precor, longùm longùm post talia fata superstes;
(Curriculum vitæ, ceu versus hypermeter esto)
Fratribus & demptos huic addat justior annos
Parca, brevésque colos producto stamine penset.

Ad Serenissimum Regem CAROLUM II,
in die Inaugurationis suæ,
Gratulatorium.

SUme tuis dignam meritis, Rex Magne, coronam,
Indue temporibus par diadema tuis.
Tempora seu capitis spectes, seu *tempora* vitæ,
Quàm bene utrisque sedet tantus honoris apex!
En! decimâ demum trieteride regna revisis:
Quàm matura ætas scilicet imperio!
Debuit hâc Deus in terris, hâc Rhetor *Athenis*,
Hâc *Levita* olim munus inire suum.
Sed quid ego hos annos, triginta aut computo messes,
Quarum myriades nil sine mente valent?
Nos ævum meritis metimur: *Tempora*, Cæsar,
Plus tua, quàm *tempus*, sacra tiara decet.
Non matura ætas, sed mens maturior annis
Regnorum & Regum te facit esse caput.

Tu

Tu virtute dies anteîsti, dotibus annos,
Tum cùm ætate puer, *Carole*, mente senex.
Hinc regalem adeò decorant tua tempora vittam,
Et capite ornatur trina corona tuo,
Scilicet acropoli, & *Capitol.* nobilis arce,
Quam *Sophia*, et *Pietas*, et *Themis* alma colunt:
In quo tres istæ sedem fixere sorores;
Quàm meritò huic Capiti trina corona datur!

Aliud.

SCande triumphali Capitolia, *Carole*, curru,
Scande coronatus, totum cùm viceris orbem,
Non armis, sed amore tui. Te sospite, Cæsar,
Agglomerant gentes, Reducem et mirantur, amántq;
Gratantúrque tibi tantos sine cæde triumphos,
Incolumémque stupent, per tot miracula rerum
Faucibus ex Orci propriâ virtute redemptum.
Scande thronum Princeps, postquam tot fregeris iras,
Tot portenta hominum, tot monstra subegeris unus,
Aten, & Nemesin, Rabiémque, Odiúmq; domâris
Non vi, sed visu. Quantò hæc meliora tropæa,
Quàm quæ olim *Macedo* de victo Oriente superbus
Rettulit, & multo sacravit sanguine *Mavors*!

In auspicatissimam Regis CAROLI II *Inaugurationem festo die* S. Georgii *celebratam.*

OFortunatos gemino *Pollúce* Britannos!
Faustum fidus utrunque, *Georgius* unus, et alter,
Angligenis; unus (nisi fallit fabula) Martyr
Pro Christo, *Carolo* pro Martyre *Georgius* alter,
Martyris et nato; fidei Confessor avitæ,
Et scelerum vindex, populi et Tutela *Britanni*.
Qui *cunctando* hostem fregit ter *Maximus* heros,
Et *rem restituit* nobis, solióque paterno
Restituit Carolum *Fabiano* more secundum.
Bini igitur Sancti festo celebrentur eodem,

Aut etiam alterius nova ſint Solennia *Georgi*;
Atque eodem *Aprili* peragantur menſe; *Britannis*
Cùm primùm affulſit nova ſpes duce et auſpice *Monko*
Venturi *Caroli*, redivivi et gloria regni.
Cùmque ſuis Regem latebris ſervaverit Arbor,
Sit celebre hoc noſtræ poſthac emblema ſalutis:
Póſtque Crucem Chriſti, noſtræ quæ inſignia gentis,
Planta beata *Anglis* ſit proxima Regia Quercus,
Æternùm et noſtris indat ſua nomina Faſtis.
Et nè unus tantùm Satrapis ſit nobilis Ordo,
Sit Titulus novus alter, et alter qui vehat Ordo
Delectos heroas ad æthera, nè vel honores
Sola ſuos, Equitésve *Periſcelis aurea* jactet;
Sit novus Ordo, *Sacra* qui nomen ab *Arbore* ſumat:
Alter erit ſic Sanctus, erunt etiam altera feſta,
Atque ſuos Equites nunc *aurea Quercus* habebit.

Ad populum Britannum, *ut felicitatem ſuam, Regis reſtauratione partam, grato animo agnoſcat,*
Ὡιδὴ παραινετική.

GRatam memento rebus in optimis
Seruare mentem, ſoſpite *Carolo*,
Tot functe damnis, tot ſuperſtes
Cædibus, incolumis *Britanne*.
Vides ut axi jam redeat jubar,
*Phœbúſ*que pulſum reſtituat diem,
Excuſſerint & qui furores
Præcipitem *Phaethonta* curru.
Vides ut orbi jam redeat fides,
Et candor, et pax, almáque fauſtitas,
Et veritas fuco remoto,
Et niveum ſine fraude pectus.
Vides ut Aulæ jam redeat decor,
Auctoritas et priſtina Curiæ,
Aſtræa terras ut reviſat,
Et *Themis* exilio reducta.

Vides

Vides ut aris jam redeat nitor,
Tollátque ſacrum Rellig o caput,
Nec ampliùs jam Templa fiant
Æqua ſolo, ſtabula aut equorum.
Vides ut Urbi jam redeat pudor,
Intaminato et fœdere caſtitas
Mentis bonæ cuſtos, ſorórque
Simplicitas, probitásq; morum.
Vides ut *Almæ* jam redeat decus
Utrique *Matri*, et lux Academiis,
Et floreant Artes fugatâ
Barbarie, vigeántque Muſæ.
Hæc, hæc recepti pignora *Caroli*,
Hæc dona Divûm, cùm reducem darent
Anglis Monarcham, hæc cuncta nobis
Reddita cum redeunte Rege.
Inaugurati hæc munera *Cæſaris*,
Hæc ſpargit in nos miſſilia undique
Auguſtus, hæ ſunt ecce gemmæ,
Queis *Caroli* diadema fulget.
Grates quis unquam ſolvere debitas?
Quis vota cœlo? quis meritas preces?
Quis tura templo digna poſſit
Pro *Carolo*, et cumulo hoc bonorum?
Quæ agnoſce tandem grata *Britannia*,
Felix nimis, ſi grata *Britannia*,
Si hâc ſorte nôris, et Deorum
Muneribus ſapienter uti.
Poſt tot procellas *fortiter occupa*
Portum, ac abhorre fluctibus à novis:
Neptuni opem fruſtrá invocabis,
Naufragium ſemel antè paſſa.
Purâ nec unquam mente pias preces
Parcas ſupremo fundere Numini,
Æternùm ut, *Anglis* quæ benignè
Contulerit, ſua dona ſervet.

Illud cavebis, si sapis, unicè,
Nè rursus, arte hâc jam bene sublitam,
Fanaticus te ludat error,
Aut pietas simulata fallat.
Lex, jus, et æquum, pax, amor, et fides
Nunquam exules sint, jam reduces semel:
Nefas at omne, et fraus avara,
Sacrilegúsque furor facessat,
Edáxque livor, perfidia, et scelus,
Rapina, luxus, fastus et insolens;
Nè nuperæ clades recurrant,
Et Chaos, Ilias et malorum.
Quin ergò *VIVAT REX, Carolus*, pius,
(Hæc una vox, hæc vota epidemica)
Nec *Anglicanæ* unquam Coronæ
Regia stirps *Carolina* desit.
Vota hæc, *Britanne*, ut sint rata cœlitús,
Memento sacris ritè anathematis
Ornare pulvinar Deorum, et
Templa novo decorare saxo.

AD LECTOREM.

Si corripiatur *secunda syllaba in voce* Stagirita, *non tam gravis (ut spero) hac culpa videbitur, ut Autor propterea valde* corripi *mereatur. Siquidem* produci *possunt hujusmodi Systoles plura (ni fallor) exempla ex Poetis præsertim Sacris & Neotericis. Nôrunt quinetiam eruditi quanta sit varietas atque licentia in prosodia & quantitate Propriorum Nominum, eorum inprimis quæ ex Græco in Latinum transferuntur. Errata porrò Typographica, pauca sanè ea (si quæ sunt) & levioris momenti, Lector pro humanitate sua festinantibus Operis facilè condonabit.*

FINIS.

Pro Supplici

Evangelicorum Miniſtrorum in Anglia,
ad Sereniſsimum Regem

Contra larvatam geminæ Academiæ
Gorgonem Apologia;

SIVE

ANTI-TAMI-CAMI-CATEGORIA,
Autore *Andrea Melvino.*

Reſponſum, non dictum.

INſolens, audax, facinus nefandum,
Scilicet, (poſcit ratio ut decori,
Poſcit ex omni officio ut ſibi mens
Conſcia recti)
Anxiam Chriſti vigilémque curam,
Quæ pias terris animas relictis
Sublevans deducit in aſtra, nigróque
Invidet Orco,
De ſacri caſta ratione cultûs,
De Sacro-ſancti Officii decoro
Supplicem ritu veteri libellum
Porr'gere Regi,
Simplici mente atque animo integello,
Spiritu recto, & ſtudiis modeſtis,
Numinis ſancti veniam, & benigni
Regis honorem

Ritè

Ritè præfantem : Scelus expiandum
Scilicet taurorum, ovium, ſuúmque
Millibus centum, voluiſſe nudo
Tangere verbo
Præſulum faſtus; monuiſſe Ritus
Impios, deridiculos, ineptos
Lege, ceu labes, maculásque lectâ ex
Gente fugandos.
Júsque-jurandum ingemuiſſe jura
Exigi contra omnia ; tum miſellis
Mentibus triſtem laqueum injici per
Faſq;, nefâsque.
Turbida illimi Crucis in lavacro
Signa conſignem ? magico rotatu
Verba devolvam ? ſacra vox ſacratâ im-
Murmuret undâ
Strigis in morem ? Rationis uſu ad-
-Fabor Infantem vacuum ? canoras
Ingeram nugas minùs audienti
Dicta puello?
Parvulo impo'ſtis manibus ſacrabo
Gratiæ fœdus ? digitóne Sponſæ
Annulus Sponſi impoſitus ſacrabit
Connubiale
Fœdus æternæ bonitatis ? Undâ
Num ſalutari mulier Sacerdos
Tinget in vitam, Sephorámque reddet
Luſtrica mater ?
Pilei quadrum capiti rotundo
Ritè quadrabit ? Pharium camillo
Supparum Chriſti, & decus Antichriſti
Pontificale ?
Paſtor examen gregis exigendum
Curet invitus, celebrare cœnam
Promptus arcanam, memorando Jeſu
Vulnera dira ?

Cantibus

Cantibus certent Berecynthia æra
Muſicûm fractis? reboántve rauco
Templa mugitu? Illecebris ſupremi ah
Rector Olympi

Captus humanis? libitúmque nobis,
Scilicet, Regi id Superum allubeſcet?
Somniúmque ægri cerebri profanum eſt
Dictio ſacra?

Haud ſecus luſtri Lupa Vaticani
Romuli fæcem bibit, & bibendam
Porrigit poc'lo, populisque & ipſis
Regibus aureo.

Non ità æterni *Witakerus* acer
Luminis vindex, patriæque lumen
Dixit, aut ſenſit; neque celſa ſummi
Penna *Renoldi*,

Certa ſublimes aperire calles,
Sueta cœleſtes iterare curſus,
Læta miſceri niveis beatæ
Civibus aulæ;

Nec Tami, aut Cami accola ſaniore
Mente, qui cœlum ſapit in frequenti
Hermathenæo, & celebri Lyceo
Culta juventus,

Cujus affulget genio Jovæ lux,
Cui nitens Sol juſtitiæ remidet,
Quem jubar Chriſti radiantis alto
Spectat Olympo.

Bucerum laudem? memorémque magnum
Martyrem? gemmas geminas renati
Aurei ſec'li, duo dura ſacri
Fulmina belli?

Alterum

Alterum Camus liquido recursu,
Alterum Tamus trepidante lymphâ
Audiit, multum stupuítque magno
Ore sonantem.

Anne mulcentem Rhodanum, & Lemanum
Prædicem *Bezam* viridi in senecta?
Octies cujus trepidavit ætas
Claudere denos

Solis anfractus, reditúsque, & ultra
Quinque percurrens spatiosa in annos
Longiùs florem viridantis ævi
Prorogat & ver.

Oris erumpit scatebra perenni
Amnis exundans, gravidíque rores
Gratia fœcunda animos apertis
Auribus implent.

Major hic omni invidia, & superstes
Millibus mille, & *Sadeele*, & omnium
Maximo *CALVINO*, aliísque veri
Testibus æquis;

Voce olorina liquidas ad undas
Nunc canit laudes Genitoris almi
Carmen, & Nato canit, eliquante
Numinis aurâ,

Sensa de castu sacra puriore,
Dicta de cultu potiore Sancta,
Arma quæ in castris jugulent severi
Tramitis hostes.

Cana cantanti juga ninguidarum
Alpium applaudunt, resonántque valles;
Jura concentu nemorum sonoro,
Et pater Ister

Con-

Conſonant longé ; pater & bicornis
Rhenus aſcenſum ingeminat. Garumna,
Sequana, atque Arar, Liger : inſularum &
Undipotentum

Magna pars intenta Britannicarum
Voce conſpirat liquida: ſolúmque,
Et ſalum, & cœlum, æmula præcinentis
More, modóque

Concinunt *Bet*æ numeris, modíque
Et polo plaudunt; referúntque leges
Lege quas ſanxit pius ardor, & Rex
Scoto-britannus.

Sicut edictum in tabulis ahenis
Servat æternum pia cura Regis
Qui mare, & terras, variíſque mundum
Temperat horis:

Cujus æqualis Sobolis Parenti
Gentis electæ pater, atque cuſtos;
Par & ambobus, veniens utrinque
Spiritus almus;

Quippe Tres-unus Deus; unus actus,
Una natura eſt tribus; una virtus
Una Majeſtas, Deitas & una,
Gloria & una.

Una vis immenſa, perennis una
Vita, lux una, & ſapientia una,
Una mens, una & ratio, una vox, &
Una voluntas

Lenis, indulgens, facilis, benigna;
Dura, et inclemens, rigida, et ſevera;
Semper æterna, omnipotens. et æqua.
Semper et alma :

Lucidum

Lucidum cujus ſpeculum eſt, reflectens
Aureum vultûs jubar, & verendum,
Virginis proles, ſata cœlo, & alti In
Terpres Olympi:

Qui Patris mentémque, animúmque ſancti
Filius pandit face noctilucâ,
Sive Doctrinæ documenta, ſeu com-
Pendia Vitæ,

Publicæ, privæ; ſacra ſcitá Regni
Regis ad nutum referens, Domûsque
Ad voluntatem Domini inſtituta
Singula librans,

Luce quam Phœbus melior refundit,
Lege, quam Legum- tulit ipſe -lator,
Cujus exacti officii ſuprema eſt
Norma voluntas.

Cœca mens humana, hominum voluntas
Prava, & affectus rabidi: indigétque
Luce mens, normâ officii voluntas,
Lege libido,

Quiſquis hanc ſurda negat aure, quâ ſe
Fundit ubertim liquidas ſub auras,
Ille ter prudens, ſapiénsque, & omni ex
Parte beatus.

Ergò vos *Cani* proceres, *Tamí*que,
Quos viâ flexit maleſuadus error,
Denuo rectum, duce Rege Regum, in-
Siſtite callem.

Vos metus tangit ſi hominum nec ullus,
At Deum fandi memorem et nefandi
Vindicem ſperate, et amœna ſolis
Tartara Diris;

Quæ manent ſontes animas, trucésque
Præſulum faſtus, malè quas perurit
Pervigil zelus vigilum, et gregis cu-
Stodia pernox.

Veſte bis tinctâ Tyrio ſuperbos
Murice, et paſtos dape pinguiore
Regia quondam aut ſaliari inuncta a-
Bdomine cœna.

Qualis *Urſini*, *Damaſi*que faſtus
Turgidus, luxúque ferox, feróque
Ambitu pugnax, ſacram et ædem, et urbem
Cæde nefandâ

Civium inceſtavit, et ominoſum
Traxit exemplum veniens in ævum,
Præſulum quod nobilium indecorus
Provocat ordo.

Quid fames auri ſacra? quid cupido
Ambitu diro fera non propagat
Poſteris culpæ? mala damna quanta
Plurima fundit?

FINIS.

Auguſtiſsimo, Potentiſsimóque
Monarchæ
JACOBO, *D. G.*
Magnæ Britanniæ, Franciæ, *&* Hiberniæ
Regi, Fidei Defenſori, &c.

Geo. Herbertus.

ECce recedentis fœcundo in littore Nili
Sol generat populum luce fovente novum.
Antè tui, *CÆSAR*, quàm fulſerat aura favoris,
Noſtræ etiam Muſæ vile fuere lutum:
Nunc adeò per te vivunt, ut repere poſſint,
Sintque auſæ thalamum ſolis adire tui.

Illuſtriſs. Celſiſſimóq; CAROLO,
Walliæ, & Juventutis Principi.

QUam chartam tibi porrigo recentem
Humanæ decus, atq; apex juventæ,
Obtutu placido benignus affles,
Nam aſpectibus è tuis vel unus
Mordaces tineas, nigrásque blattas,
Quas livor mihi parturit, retundet,
Ceu, quas culta timet ſeges, pruinas
Naſcentes radii fugant, vel acres
Tantùm dulcia leniunt catarrhos.
Sic ô te (juvenem, ſenémve) credat
Mors ſemper juvenem, ſenem Britanni.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Epiſcopo *Vintonienſi, &c.*

SAncte Pater, cœli cuſtos, quo doctius uno
Terra nihil, nec quo ſanctius aſtra vident;
Cùm mea futilibus numeris ſe verba viderent
Claudi, penè tuas præteriêre fores.
Sed properè, dextréque reduxit euntia ſenſus,
Iſta docens ſoli ſcripta quadrare tibi.

Ad Regem.

Inſtituti Epigrammatici ratio. *Epigr. I.*

CUm millena tuam pulſare negotia mentem
Conſtet, & ex illa pendeat orbis ope;
Nè te productis videar laſſare Camœnis,
Pro ſolido, CÆSAR, carmine fruſta dabo.
Cùm tu contundens *Catharos*, vultúque librísque,
Grata mihi menſæ ſunt analecta tuæ.

Ad Melvinum. *Epigr. II.*

NOn mea fert ætas, ut te, veterane, laceſſam;
Non ut te ſuperem: res tamen ipſa feret.
Ætatis numerum ſupplebit cauſa minorem:
Sic tu nunc juvenis factus, egóque ſenex.
Aſpice, dum perſlas, ut te tua deſerat ætas;
Et mea ſint canis ſcripta referta tuis.
Ecce tamen quàm ſuavis ero! cùm, fine duelli,
Clauſerit extremas pugna peracta vices,
Tum tibi, ſi placeat, fugientia tempora reddam;
Sufficiet votis iſta juventa meis.

In

In monstrum vocabuli *Anti-Tami-Cami-Categoria.*

Epigr. III. Ad eundem.

O Quàm bellus homo es! lepido quàm nomine fingis
Istas *Anti-Tami-Cami-Categorias*!
Sic Catharis nova sola placent; res, verba novantur:
Quæ sapiunt ævum, ceu carioſa jacent.
Quin liceat nobis aliquas procudere voces:
Non tibi fingendi sola taberna patet.
Cùm sacra perturbet vester furor omnia, scriptum
Hoc erit, *Anti-furi-Puri-Categoria.*
Pollubra vel cùm olim damnâris Regia in ara,
Est *Anti-pelvi-Melvi Categoria.*

Partitio *Anti-Tami-Cami-Categoriæ. IV.*

TRes video partes, quò re distinctiùs utar,
Anticategoriæ, Scoto-Britanne, tuæ:
Ritibus [1]una Sacris opponitur; [2]altera Sanctos
Prædicat autores; [3]tertia plena Deo est.
Postremis ambabus idem sentimus uterque;
Ipse pios laudo; Numen & ipse colo.
Non nisi prima suas patiuntur prælia lites.
O bene quòd dubium possideamus agrum!

1 *Ab initio ad vers. 65.*
2 *Inde ad vers. 128.*
3 *Inde 176.*

In metri genus. V.

CUr, ubi tot ludat numeris antiqua poesis,
Sola tibi Sappho, feminâque una placet?
Cur tibi tam facilè non arrisêre poetæ
Heroum grandi carmina fulta pede?
Cur non lugentes Elegi? non acer Iambus?
Commotos animos rectiùs ista decent.
Scilicet hoc vobis proprium, qui puriùs itis,
Et populi spurcas creditis esse vias:

Vos ducibus missis, missis doctoribus, omnes
Femineum blanda fallitis arte genus:
Nunc etiam teneras quò versus gratior aures,
Mulceat, imbelles complacuêre modi.

† *In titulo.* *De † Larvata Gorgone.* *VI.*

GOrgona cur diram, larvásque obtrudis inanes,
Cùm propè sit nobis Musa, Medusa procul?
Si, quia felices olim dixêre poetæ
Pallada gorgoneam, sic tua verba placent.
Vel potiùs liceat distinguere. Túque tuíque
Sumite *gorgoneam*, nostráque *Pallas* erit.

Vers. 21. *De Præsulum fastu.*

PRæsulibus nostris fastus, *Melvine*, tumentes
Sæpius aspergis. Siste, pudore vacas.
An quod semotum populo laquearibus altis
Eminet, id tumidum protinus esse feres?
Ergò etiam Solem dicas, ignave, superbum,
Qui tam sublimi conspicit orbe viam:
Ille tamen, quamvis altus, tua crimina ridens
Assiduo vilem lumine cingit humum.
Sic laudandus erit nactus sublimia Præsul,
Qui dulci miseros irradiabit ope.

† *In titulo.* *De gemina Academia.*

QUis hic superbit, oro? túne, an Præsules?
Quos dente nigro corripis?
Tu duplicem solus Camœnarum thronum
Virtute percellis tuâ;
Et unus impar æstimatur viribus,
Utrumque sternis calcitro:
Omnésque stulti audimus, aut hypocritæ,
Te perspicaci, atque integro.

An

An rectiùs nos, ſi vices vertas, probi,
Te contumaci, & livido?
Quiſquis tuetur perſpicillis Belgicis
Qua parte tractari ſolent,
Res ampliantur, ſin per adverſam videt,
Minora fiunt omnia:
Tu qui ſuperbos cæteros exiſtimas
(Superbius cùm te nihil)
Vertas ſpecillum: nam, prout ſe res habent,
Vitro minùs rectè uteris.

De S. Baptiſmi "ritu. Epigr. IX. "*Verſ.* 34.

CUm tener ad ſacros infans ſiſtatur aquales,
Quòd puer ignorat, verba profana putas?
Annon ſic mercamur agros? quibus ecce Redemptor
Comparat æterni regna beata Dei.
Scilicet emptorem ſi res aut parcior ætas
Impediant, apices legis amicus obit.
Forſitan & prohibes infans portetur ad undas,
Et per ſe Templi limen adire velis:
Sin, *Melvine*, pedes alienos poſtulet infans,
Cur ſic diſpliceat vox aliena tibi?
Rectiùs innocuis lactentibus omnia præſtes,
Quæ ratio per ſe, ſi ſit adulta, facit.
Quid vetat ut pueri vagitus ſuppleat alter,
Cùm nequeat claras ipſe litare preces?
Sævus es eripiens parvis vadimonia cœli:
Et tibi ſit nemo præs, ubi poſcis opem.

De Signaculo Crucis. X. *Verſ.* 29.

CUr tanta ſufflas probra in innocuam Crucem?
Non plùs maligni dæmones Chriſti cruce
Unquam fugari, quàm tui ſocii ſolent.
Apoſtolorum culpa non levis fuit

Vitâſſe Chriſti ſpiritum efflantis crucem.
Et Chriſtianus quiſque piſcis dicitur
Tertulliano, propter undæ pollubrum,
Quo tingimur parvi. Ecquis autem brachiis
Natare ſine clariſſima poteſt cruce?
Sed non moramur: namque veſtra crux erit,
Vobis faventibúsve, vel negantibus.

Verſ. 25. *De juramento Eccleſiæ.* XI.

ARticulis ſacris quidam ſubſcribere juſſus
Ah! Cheiragra vetat, quò minùs, inquit, agam.
O verè dictum, & bellè! cùm torqueat omnes
Ordinis oſores articulare malum.

Verſ. 22. *De Purificatione poſt puerperium.* XII.

ENixas pueros matres ſe ſiſtere templis
Diſplicet, & laudis tura litare Deo.
Fortè quidem, cùm per veſtras Eccleſia turbas
Fluctibus internis exagitata natet,
Vos ſine maternis hymnis infantia vidit,
Vitáque neglectas eſt ſatis ulta preces.
Sed nos, cum nequeat parvorum lingua parentem
Non laudare Deum, credimus eſſe nefas.
Quotidiana ſuas poſcant ſi fercula grates,
Noſtra caro ſanctæ neſcia laudis erit?
Adde piis animis quævis occaſio lucro eſt,
Quæ poſſint humili fundere corde preces.
Sic ubi jam mulier decerpti conſcia pomi
Ingemat ob partus, ceu maledicta, ſuos,
Appoſitè quem commotum ſubfugerat olim,
Nunc redit ad mitem, ceu benedicta, Deum.

48 *De Antichriſti decore Pontificali.* XIII.

NOn quia Pontificum ſunt olim afflata veneno,
Omnia ſunt temere projicienda foras.

Tollan-

Tollantur si cuncta malus quæ polluit usus,
Non remanent nobis corpora, non animæ.

49 *De Superpelliceo.* XIV.

Quid sacræ tandem meruêre vestes?
Quas malus livor jaculis lacessit
Polluens castam chlamydis colorem
Dentibus atris?
Quicquid ex urna meliore ductum
Luce præclustri, vel honore pollet,
Mens sub insigni specie coloris
Concipit albi.
Scilicet talem liquet esse solem;
Angeli vultu radiante candent;
Incolæ cœli melioris albâ
Veste triumphant.
E creaturis sine mentis usu
Conditis binas homini sequendas
Spiritus proponit, & est utrique
Candor amicus.
Ergò ringantur pietatis hostes,
Filii noctis, populus malignus,
Dum suum nomen tenet, & triumphat
Albion albo.

Ovis, & columba. Columel. *l.* 7. *c.* 2. & *l.* 8. *c.* 8.

Vers. 45. *De Pileo quadrato.* XV.

Quæ dicteria fuderat Britannus
Superpellicei tremendus hostis,
Isthæc pileus audiit propinquus,
Et partem capitis petit supremam;
Non sic effugit angulus vel unus
Quo dictis minùs acribus notetur.
Verùm heus! si reputes tibi, tuisque
Longè pileus anteit galerum,
Ut fervor cerebri refrigeretur,

Qui veſtras edit intimè medullas.
Sed qui tam malè pileos habetis,
Quos Eccleſia comprobat, verendum
Ne tandem caput ejus impetatis.

In Catharum. XVI.

CUr Latiam linguam reris nimis eſſe profanam?
Quam præmiſſa probant ſecula, noſtra probant?
Cur teretem Græcam damnas, atque Hellada totam,
Qua tamen occiſi fœdera ſcripta Dei?
Scilicet Hebræam cantas, & perſtrepis unam:
Hæc facit ad naſum ſola loquela tuum.

129 *De Epiſcopis.* XVII.

QUos charos habuit Chriſtus Apoſtolos,
Teſtatósque ſuo tradiderat gregi;
Ut cum mors rabidis unguibus imminens
Doctrinæ fluvios clauderet aureæ,
Mites acciperent Lampada Præſules,
Servaréntque ſacrum clavibus ordinem;
Hos nunc barbaries impia vellicat
Indulgens propriis ambitionibus,
Et quos ipſa nequit ſcandere vertices
Hos ad ſe trahere, & mergere geſtiens.
O cœcum populum! ſi bona res ſiet
Præſul, cur renuis? ſin mala, pauculos
Quàm cunctos fieri præſtat Epiſcopos.

184 *De iiſdem, ad* Melvinum. XVIII.

PRæſulibus dirum te Muſa coarguit hoſtem,
An quia Textores, Artificésque probas?

De

De Textore Catharo. XIX.

Cum piſcatores Textor legit eſſe vocatos,
Ut ſanctum Domini perſequerentur opus;
Ille quóq; invadit Divinam Flaminis artem,
Subtegmen reti dignius eſſe putans,
Et nunc perlongas Scripturæ ſtamine telas
Torquet, & in Textu Doctor utróq; cluet.

30. 32.

De Magicis rotatibus. XX.

Quos tu rotatus, quale murmur auſcultas
In ritibus noſtris? Ego audio nullum.
Agè, provocemus úſq; ad Angelos ipſos,
Auréſq; ſuperas: arbitri ipſi ſint litis,
Utrum tenore ſacra noſtra ſint nec ne
Æquabili facta. Ecquid ergo te tanta
Calumniandi concitavit urtica,
Ut, quæ Papicolis propria, aſſuas nobis,
Falſúmque potiùs, quàm crepes verſu?
Tu perſtrepis tamen; útq; turgeat carmen
Tuum tibi, poeta belle non myſtes
Magicos rotatus, & perhorridas Striges,
Dicteriis mordacibus notans, clamas
Non convenire precibus iſta Divinis.
O ſævus hoſtis! quàm ferociter pugnas!
Nihilne reſpondebimus tibi? Fatemur.

verſ. 59.

verſ. 33.

Ad fratres. XXI.

O ſe'clum lepidum! circumſtant undiq; Fratres,
Papicoliſq; ſui ſunt, Catharíſq; ſui.
Sic nunc plena boni ſunt omnia Fratris, amore
Cùm nil fraterno rarius eſſe queat.

23. *De labe, maculiſq;.* XXII.

LAbeculas, maculâſq; nobis objicis,
Quid ? hoccine eſt mirum ? Viatores ſumus.
Quò ſanguis eſt Chriſti, niſi ut maculas lavet,
Quas ſpargit animæ corporis propius lutum ?
Vos ergo puri ! o nomen appoſitiſſimum
Quo vulgus ornat vos ! At audias parum ;
Aſtronomus olim (ut fama) dum maculas diu,
Quas Luna habet, tuetur, in foveam cadit,
Totúſq; cænum Cynthiæ ignoſcit notis.
Eccleſia eſt mihi Luna ; perge in Fabulâ.

54. *De Muſica Sacra.* XXIII.

CUr efficaci Deucalion manu,
Poſt reſtitutos fluctibus obices,
Mutas in humanam figuram
Saxa ſupervacuáſq; caules ?
Quin redde formas, o bone, priſtinas,
Et nos reducas ad lapides avos :
Nam ſaxa mirantur canentes,
Saxa lyras, citharáſq; callent.
Rupes tenaces, & ſilices ferunt
Potentiori carmine percitas
Saltus per incultos, lacúſq;
Orphea mellifluum ſecutas.
Et ſaxa diris hiſpida montibus
Amphionis teſtitudine nobili
Percuſſa dum currunt ad urbem,
Mænia contribuére Thebis.
Tantùm repertum eſt trux hominum genus,
Qui templa ſacris expoliant choris,
Non erubeſcentes vel ipſas
Duritiâ ſuperare cautes.

O plena

O plena centum Muſica Gratiis,
Præclariorum ſpirituum cibus,
Quò me vocas tandem, tuúmq;
Ut celebrem decus iuſuſurras ?
Tu Diva miro pollice ſpiritum
Cæno profani corporis exuens
Ter millies cælo reponis :
Aſtra rogant, Novus hic quis hoſpes ?
Ardore Moſes concitus entheo,
Merſis revertens lætus ab hoſtibus
Exuſcitat plebem ſacratos
Ad Dominum properare cantus.
Quid hocce ? Pſalmos audiõ' ? o dapes !
O ſucculenti balſama ſpiritus !
Ramenta cæli, guttulæq;
Deciduæ melioris orbis !
Quos David, ipſæ deliciæ Dei,
Ingens piorum gloria Principum,
Sionis excelſas ad arces
Cum citharis, lituiſq; miſcet.
Miratur æquor finitimum ſonos,
Et ipſe Jordan ſiſtit aquas ſtupens ;
Præ quo Tibris vultum recondit,
Eridanúſq; pudore fuſus.
Tun' obdis aures, grex nove, barbaras,
Et nullus audis ? Cantibus obſtrepens,
Ut, quò fatiges verberéſq;
Pulpita, plus ſpatij lucreris ?
At cui videri prodigium poteſt
Mentes, quietis tympana publicæ,
Diſcordijs plenas ſonoris
Harmoniam tolerare nullam ?

35. *De eadem.* XXIV.

CAntus ſacros, profane, mugitus vocas?
Mugire mu'tò mavelim quàm rudere.

21. *De rituum uſu.* XXV.

CUm primùm ratibus ſuis
noſtram Cæſar ad inſulam
olim appelleret, intuens
omnes indigenas loci
viventes ſine veſtibus,
O victoria, clamitat
certa, ac perfacilis mihi!
Non alio Cathari modo
dum ſponſam Domini pijs
orbam ritibus expetunt,
atq; ad barbariem patrum
vellent omnia regredi,
illam tegminis inſciam
prorſùs Dæmoni, & hoſtibus
exponunt ſuperabilem.
Atqui vos ſecus, o boni,
ſentire, ac ſapere addecet,
ſi veſtros animos regant
ſcripturæ canones ſacræ:
Námq; hæc, jure, cuipiam
veſtem non adimi ſuam,
ſed nudis & egentibus
non ſuam tribui jubet.

De annulo conjugali. XXVI.

SEd nec conjugij ſignum, Melvine, probabis?
Nec vel tantillum pignus habebit amor?

Nulla

Nulla tibi si signa placent, è nubibus arcum
Eripe cælesti qui moderatur aquæ.
Illa quidem à nostro non multùm abludit imago,
Annulus & plenus tempore forsan erit.
Sin nebulis parcas & nostro parcito signo,
Cui non absimilis sensus inesse solet.
Scilicet, ut quos ante suas cum conjuge tedas
Merserat in lustris pernicioſa venus,
Annulus hos revocet, sistátq; libidinis undas
Legitimi signum connubiale tori.

De Mundi, & mundanis. XXVII.

EX prælio undæ igníſque (ſi Phyſicis fides)
tranquillus aer naſcitur:
Sic ex profano Coſmico, & Catharo poteſt
Chriſtianus extundi bonus.

31. *De oratione Dominica* XXVIII.

QUam Chriſtus immortalis innocuo gregi
voce ſuâ dederat,
quis crederet mortalibus
orationem rejici ſeptemplicem,
quæ miſeris clypeo
Ajacis eſt præſtantior?
Hæc verba ſuperos advolaturus thronos
Chriſtus, ut auxilij
nos haud inanes linqueret,
(cùm dignius nihil poſſet aut melius dare)
pignora chara ſui
fruenda nobis tradidit.
Quis ſic amicum excipiet, ut Cathari Deum,
qui renovare ſacri
audent amoris Symbolum?

Tu verò quiſquis es, cave, nè dum neges
improbe verba Dei,
te deneget VERBUM Deus.

In Catharum quendam. XXIX.

CUm templis effare, madent ſudaria, mappæ,
Trux caper alarum, ſuppara, læna, ſagum.
Quin populo, clemens, aliquid largire caloris:
Nunc ſudas ſolus; cætera turba riget.

61. *De lupa luſtri Vaticani.* XXX.

CAlumniarum nec pudor quis nec modus?
Nec *Vaticanæ* deſines unquam *Lupæ*?
Metus inanes! Nos pari prætervehi
Illam Charybdim cautione novimus
Veſtramq; Scyllam, æquis parati ſpiculis
Britannicam in Vulpem, inque Romanam Lupam.
Dicti fidem firmabimus Anagrammate.

Roma dabit Oram, Maro, Ramo,
Armo, Mora, & Amor.

ROma, tuum nomen quam non pertranſiit *Oram*,
Cùm Latium ferrent ſecula priſca jugum?
Non deerat vel fama tibi, vel carmina famæ,
Unde *Maro* laudes duxit ad Aſtra tuas.
At nunc exucco ſimilis tua gloria *Ramo*
A veteri trunco, & nobilitate cadit.
Laus antiqua, & honor perierunt, te velut *Arno*
Jam deturbârunt tempora longa ſuo.
Quin tibi jam deſperatæ *Mora* nulla medetur;
Qua Fabio quondam ſub duce nata ſalus.
Hinc te olim Gentes miratæ odêre viciſſim;
Et cum ſublatâ laude recedit *Amor*.

De

37. *De impositione manuum.* XXXI.

NEc dextra te fugit almi Amoris emblema?
Atqui manus imponere integras præstat,
Quàm (more vestro) imponere inscio vulgo.
Quanto Impositio melior est Imposturà!

Supplicum Ministrorum raptus κωμῳδούμενος. XXXII.

AMbitio Cathari quínque constat Actibus.
I. Primò, unus aut alter parum ritus placet.
Jam repit impietas volatura illico.
II. Mox displicent omnes. Ubi hoc permanserit
III. Paulò, secretis mussitans in angulis
Quærit recessus Incalescit fabula,
IV. Erumpit inde, & continere nescius
V. Sylvas pererrat. Fibulis dein omnibus
Præ spiritu ruptis, quò eas resarciat
Amstelrodamum corripit se. *Plaudite.*

De Autorum enumeratione. XXXIII.

QUò magis invidiam nobis, & crimina confles,
Pertrahis in partes nomina magna tuas;
Martyra, Calvinum, Bezam, doctúmq; *Bucerum*,
Qui tamen in nostros fortiter ire negant.
Whitaker, erranti quem præfers carmine, miles
Assiduus nostræ papilionis erat.
Nos quóq; possemus longas conscribere turmas,
Si numero starent prælia non animis.
Primus adest nobis, Pharisæis omnibus hostis,
Christus Apostolici cinctus amore gregis.
Tu geminas belli portas, o *Petre*, repandis,
Dum gladium stringens *Paulus* ad arma vocat.
Indè Patres pergunt quadrati, & tota Vetustas.

Nempe

Nempe Novatores quis Veteranus amat?
Jam *Conſtantinus* multo ſe milite miſcet;
Inviſámq; tuis erigit haſta Crucem.
Hipponenſis adeſt properans, & torquet in hoſtes
Lampada, quâ ſtudijs invigilare ſolet.
Téque *Deum* alternis cantans *Ambroſius* iram,
Immemor antiqui mellis, eundo coquit.
Hæc etiam ad pugnam preſens, quâ vivimus, ætas
Innumeram noſtris partibus addit opem.
Quos inter plenúsq; Deo, genióq; Jacobus
Defendit veram mente, manúq; *fidem*.
Interea ad ſacrum ſtimulat ſacra Muſica bellum,
Qua ſine vos miſeri lentiùs itis ope.
Militat & nobis, quem vos contemnitis, Ordo,
Ordine diſcerni maxima bella ſolent.
O vos invalidos! Audi quem talibus armis
Eventum Naſo vidit & admonuit;
Una dies Catharos ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

201. *De auri ſacra fame.* XXXIV.

CLaudis avaritiâ Satyram; ſtatuísque ſacrorum
Eſſe recidendas, Æace noſter, opes.
Cætera condonabo tibi, ſcombríſq; remittam:
Sacrilegum carmen, cenſeo, flamma voret.

Ad Scotiam protrepticon ad Pacem. XXXV.

SCotia quæ frigente jaces porrecta ſub Arcto,
Cur adeo immodicâ relligione cales?
Anne tuas flammas ipſa Antiperiſtaſis auget,
Ut nive torpentes incaluêre manus?
Aut ut pruna gelu ſummo mordaciùs urit,
Sic acuunt zelum frigora tanta tuum? (eſt,
Quin nocuas extingue faces, pretor: unda propinqua
Et tibi vicinas porrigit æquor aquas:

Aut

Aut potiùs Chriſti ſanguis demiſſus ab alto,
Vicinúſque magis nobiliórq; fluit:
Nè, ſi flamma novis adoleſcat mota flabellis,
Ante diem veſtro mundus ab igne ruat.

Ad ſeductos innocentes. XXXVI.

INnocuæ mentes, quibus inter flumina mundi
Ducitur illimi candida vita fide,
Abſit ut ingenuum pungant mea verba pudorem;
Perſtringunt veſtros carmina ſola duces.
O utinam aut illorum oculi (quod comprecor unum)
Vobis, aut illis pectora veſtra forent.

Ad Melvinum. XXXVII.

ATqui te precor unicè per ipſam,
Quæ ſcripſit numeros, manum; per omnes
Muſarum calices, per & beatos
Sarcaſmos quibus artifex triumphas;
Quin per Presbyteros tuos; per urbem
Quam curto nequeo referre verſu;
Per charas tibi, nobilésq; dextras,
Quas ſubſcriptio neutiquam inquinavit;
Per quicquid tibi ſuaviter probatur;
Nè me carminibus nimis dicacem,
Aut ſævum reputes. Amica noſtra eſt
Atq; edentula Muſa, nec veneno
Splenis perlita contumelioſi.
Nam ſi te cuperem ſecare verſu,
Totámq; evomerem potenter iram
Quam aut Eccleſia deſpicata vobis,
Aut læſę mihi ſuggerunt Athenæ,
(Et quem non ſtimularet hæc ſimultas)
Jam te funditus igneis Camœnis,
Et Muſâ crepitante ſubruiſſem:
Omnis linea ſepiam recuſans
Plumbo ducta fuiſſet æſtuanti,

Centum ſtigmatibus tuos inurens
Profanos fremitus bonáſque ſannas:
Plùs charta hæc mea delibuta dictis
Hæſiſſet tibi, quàm ſuprema veſtis
Olim accreverit *Herculi* furenti:
Quin hoc carmine Lexicon probrorum
Extruxiſſem, ubi, cùm moneret uſus,
Haurirent tibi tota plauſtra Muſæ.
Nunc hæc omnia ſuſtuli, tonantes
Affectus ſociis tuis remittens. [1] *verſ.* 29.
Non te carmine [1] turbidum vocavi, [2] 21.
Non deridiculumve, ſive [2] ineptum, [3] 33. [4] 30.
Non [3] ſtriges, [4] magiámve, vel rotatus, [5] 21. [6] 193
Non [5] faſtus tibi turgidos repono; [7] 178. [8] 23.
[7] Errores, [8] maculas, [9] ſuperbiámq; [9] 129. [10] 23
[10] Labes, [11] ſomniáq; [12] ambitúſq; diros, [11] 5. [12] 262
Tinnitus [13] *Berecynthios* omittens [13] 53.
Nil horum regero tibi merenti.
Quin te laudibus orno: quippe dico,
Cæſar ſobrius ad rei Latinæ
Unus dicitur advenire cladem:
Et tu ſolus ad *Angliæ* procellas
(Cùm plerúmque tuâ ſodalitate
Nil ſit craſſius, impolitiúſve)
Accedis benè doctus, & poëta.

Ad Eundem. XXXVIII.

INcipis irridens; ſtomachans in carmine pergis;
Deſinis exclamans: Tota figura vale.

Ad Seren. Regem. XXXIX.

ECce pererratas, Regum doctiſſime, nugas.
Quas gens inconſulta, ſuis vexata procellis,
Libandas nobis, abſorbendáſq; propinat!
O cæcos animi fratres! quis veſtra fatigat

Corda

Corda furor, ſpiſſâque afflat caligine ſenſus?
Cernite, quàm formoſa ſuas Eccleſia pennas
Explicat, & radijs ipſum pertingit Olympum!
Vicini populi paſſim mirantur, & æquos
Mentibus attonitis cupiunt addiſcere ritus:
Angelicæ turmæ noſtris ſe cæ:ibus addunt:
Ipſe etiam Chriſtus cœlo ſpeculatus ab alto,
Intuitúque uno ſtringens habitacula mundi,
Sola mihi plenos, ait, exhibet *Anglia* cultus.
Scilicet has olim diviſas æquore terras
Sepoſuit Divina ſibi, cùm conderet orbem,
Progenies gemmámque ſuâ quaſi pyxide clauſit.
O qui *Defenſor Fidei* meritiſſimus audis,
Reſponde æternùm titulo; quóq; ordine felix
Cœpiſti, pergas ſimili res texere filo,
Obrue ferventes, ruptis conatibus, hoſtes:
Quáſq; habet aut patulas, aut cæco tramite, moles
Hæreſis evertas. Quid enim te fallere poſſit?
Tu venas, laticéſque omnes quos ſacra recludit
Pagina guſtâſti, multóque in erprete gaudes:
Tu Synodóſq;, Patreſq;, & quod dedit alta vetuſtas
Haud per te moritura, Scholámq; introſpicis omnem.
Nec tranſire licet quo mentis acumine findis
Viſcera naturæ, commiſtúſq; omnibus aſtris
Ante tuum tempus cœlum gratiſſimus ambis.
Hac ope munitus ſecurior excipis undas
Quas Latij, Catharíq; movent, atque inter utráſq;
Paſtor agis proprios, medio tutiſſimus, agnos.
Perge decus Regum; ſic Auguſtiſſime, plures
Sint tibi vel ſtellis laudes, & laudibus anni:
Sic pulſare tuas, excluſis luctibus, auſint
Gaudia ſola fores: ſic quicquid ſomnia mentis
Intus agunt, habeat certum meditatio finem:
Sic poſitis nugis, quibus irretita libido
Innumeros mergit vitiatâ mente poëtas,
Sola *Jacobæum* decantent carmina nomen.

Ad Deum. XL.

Quem tu, summe Deus, semel
Scribentem placido rore beaveris,
Illum non labor irritus
Exercet miserum; non dolor unguium
Morsus increpat anxios;
Non mæret calamus; non queritur caput:
Sed fæcunda poëseως
Vis, & vena sacris regnat in artubus;
qualis nescius aggerum
Exundat fluvio Nilus amabili.
O dulcissime spiritus
Sanctos qui gemitus mentibus inseris
A Te Turture defluos,
Quòd scribo, & placeo, si placeo, tuum est.

FINIS.

Ad autorem Inſtaurationis magnæ.

PEr ſtrages licet autorum veterúmque ruinam
Ad famæ properes vera Tropæa tuæ,
Tam nitidè tamen occídis, tam ſuaviter hoſtes,
Se quaſi donatum funere quiſq; putat.
Scilicet apponit pretium tua dextera fato,
Vulneréque emanat ſanguis, ut intret honos.
O quàm felices ſunt, qui tua caſtra ſequuntur,
Cùm per te ſit res ambitioſa mori.

De Eodem.

QUis iſte tandem? non enim vultu ambulat
Quotidiano. Neſcis, ignare? audies,
Dux Notionum; veritatis Pontifex;
Inductionis Dominus, & Verulamij;
Rerum Magiſter unicus, at non Artium;
Profunditatis Pinus, âtque Elegantiæ;
Naturæ aruſpex intimus; Philoſophiæ
Ærarium; ſequeſter Experientiæ,
Speculationiſque; Æquitatis Signifer;
Scientiarum ſub pupillari ſtatu
Degentium olim Emancipator; luminis
Promus; Fugator Idolûm, âtq; Nubium;
Collega Solis; Quadra Certitudinis;
Sophiſmatum Maſtix; *Brutus* literarius,
Autoritatis exuens Tyrannidem;
Rationis, & ſenſus peritus Arbiter;
Repumicator mentis; Atlas Phyſicus,
Alcide ſuccumbente *STAGIRITICO*;
Columba Noæ, quæ in vetuſtis Artibus

Nullum

Nullum locum, requiemve cernens, perſtitit
Ad ſe, ſuámque Matris Arcam regredi.
Subtilitatis terebra; Temporis nepos
Ex veritate Matre; Mellis Alveus;
Mundíque, & Animorum Sacerdos unicus;
Securis Errorum; íniq; Naturalibus
Granum Sinapis, acre alijs, creſcens ſibi;
O me prope laſſum! Juvate Poſteri.

Comparatio inter munus ſummi Cancellariatûs, & Librum.

MUnere dum nobis prodes, Libróq; futuris,
In laudes abeunt ſecula quæq; tuas;
Munere dum nobis prodes, Libróq; remotis,
In laudes abeunt jam loca quæq; tuas:
Hæ tibi ſunt alæ laudum. Cui contigit unquam
Longius æterno, latius orbe decus?

Æthiopiſſa ambit Ceſtum diverſi coloris virum.

QUid mihi ſi facies nigra eſt? hoc, Ceſte, colore
Sunt etiam tenebræ, quas tamen optat amor.
Cernis ut exultâ ſemper ſit fronte viator;
Ah longum, quæ te deperit, errat iter.
Si nigro ſit terra ſolo, quis deſpicit arvum?
Claude oculos, & erunt omnia nigra tibi:
Aut aperi, & cernes corpus quas projicit umbras;
Hoc ſaltem officio fungar amore tui.
Cum mihi ſit facies fumus, quas pectore flammas
Jamdudum tacitè deſtituiſſe putes?
Dure negas? O fata mihi præſaga doloris,
Quæ mihi lugubres contribuêre genas!

In Natales & Paſcha concurrentes.

Cum tu, Chriſte, cadis, naſcor; mentémque ligavit
Una meam membris horula, téque cruci.
O me diſparibus natum cum numine fatis!
Cur mihi das vitam, quam tibi, Chriſte, negas?
Quin moriar tecum: vitam, quam negligis ipſe,
Accipe; ni talem des, tibi qualis erat.
Hoc mihi legatum tritti ſi funere præſtes,
Chriſte, duplex fiet mors tua vita mihi:
Atque ibi per te ſanctificer natalibus ipſis,
In vitam, & nervos Paſcha coæva fluet.

FINIS.

ERRATA.

Epigr. S. p. 4. ver. 1. *Eurydice.* v. 9. *vincto.*
p. 7. v. 15. *fauſtam.* p. 16. v. 24. dele *v.*
p. 17. v. 23. *perennis.* p. 18. v. 9. *ſigna.*
v. 18. *poſthac.* p. 20. v. 3. *ſaxis.* p. 30.
v. 1. *fugiens.* v. 22. *viditve.* p. a fine
18. v. 14. *cautes.*